ANALECTA
AD
ANTIQVITATES MEDICAS
QVIBVS
ANATOME AEGYPTIORVM ET HIPPOCRATIS, NEC NON MORTIS GENVS QVO CLEOPATRA REGINA PERIIT
EXPLICANTVR



ITERVM RETRACTAVIT
RECENSVIT ET TESTIMONIIS VETERVM SCRIPTORVM CONFIRMAVIT
CHRISTIANVS GODOFR. GRVNER
MEDICINAE DOCTOR
BOTANICES AC THEORETICES IN ACADEMIA IENENSI PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, FACVLTATIS MEDICAE ADSESSOR, SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS.

Φίλος μὲν ὁ Πλάτων, φίλη δὲ καὶ ἡ ἀλήθεια.

Ariſtotel. ap. Alexandr.

VRATISLAVIAE
APVD IOAN. FRIDERICVM KORNIVM SENIOREM
cIↄIↄCCLXXIIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI ATQVE DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCI SAXONIAE

IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM

ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, COMITI PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE, COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII CET. CET

TERRARVM VINARIENSIVM

ET ISENACENSIVM HEREDI

RECTORI ACADEMIAE IENENSIS

MAGNIFICENTISSIMO

DOMINO SVO LONGE

INDVLGENTISSIMO

DVX SERENISSIME

DOMINE INDVLGENTISSIME

Quaerenti mihi iamdiu, DVX SERENISSIME, qua potissimum ratione animum CELSITVDINI TVAE deuotissimum publice declararem, peropportune venit in mentem libellus hicce meus, quem NOMINI TVO SERENISSIMO iam nuncupare audeo, tenuem illum quidem, nec tanti tamque praeclari PRINCIPIS oculis dignum, at certe gratae mentis et reuerentiae summae testem idoneum. Habent enim perspectum atque cognitum optimi quique, SERENISSI-

ME PRINCEPS, quantus TIBI insit litterarum ardor, quanta doctrinae multiplicis praestantia, quantum denique adversus homines doctos studium, adeoque non sperant solum, verum etiam confidunt, fore, vt etiam aliquando, cum ad gubernandam administrandamque rempublicam accesseris, viam paternis maternisque vestigiis impressam sequaris, omnemque vitam, quae sine litteris et bene factorum conscientia degitur, miseram atque deperditam quasi reputes.

Accedit et illud, DVX SERENISSIME, quod nuper, exemplum Celsissimorum TVORVM maiorum illustrissimum secutus, eximioque TVO in litteras favore ductus, non dedignatus es academiae nostrae preces submississimas, vt RECTOREM eius MAGNIFICENTISSIMVM TE appellari quam clementissime paterere. Quod omen vt huic musarum sedi bonisque ciuibus est eritque longe faustissimum, ita etiam ego prae ceteris summum felici-

felicitatis meae fastigium mihi attigisse videor, quod huc delato et CELSITVDINI TVAE *non ita pridem repraesentato mihi licuit gratiae* TVAE *splendorem et clementiae singularis magnitudinem admirari, eiusque memoriam sempiternam ad lares meos asportare.*

Accipe igitur, DVX SERENISSIME, DOMINE INDVLGENTISSIME, *hunc libellum ea, qua soles, clementia, eumque gratiae* TVAE *principalis clypeo munitum quasi et securum a maleuolorum telis esse iubeas. Etenim si bene sentire recteque facere satis est ad principum bonorum et* TITO *simillimorum fauorem promerendum, non vereor, ne me consilii huius optimi conscientia sustentare possit.*

Faxit deus immortalis, CELSISSIME PRINCEPS, *vt, cum numinis huius prouidentia* TE *ex* SERENISSIMA AMALIA *matre nasci, atque* EIVS *sub auspiciis ad magna quaeuis facinora conformari voluit, diu saluus, incolumis,*

faustus

faustus fortunatusque viuas, et onustus omnibus illius gloriae spoliis, quae salute ciuium musarumque fauore continetur, sis Augusto *maior*, Tito *melior*, Antonino *sapientior*.

Ego vero, quantum in me erit roboris, neruorum atque virium, DVX SERENISSIME, *efficiam, vt litterarum bonarum et medicinae studiis hac in academia nauando operam* RECTORI *nostro longe* MAGNIFICENTISSIMO, *id est,* TIBI, *nunquam displicuisse videar.*

CELSITVDINI TVAE DVCALI

Ienae
D. VI. Calend. Mart.
cIↃIↃCCLXXIIII.

deuotissimus
Christianus Godofredus Gruner.

PRAE-



PRAEFATIO.

In ea opinione ſemper fui, medicum perfectum abſolutumque omnibus numeris fore neminem, niſi qui in hiſtoria medicinae bene verſatus ſit. Fieri enim nullo modo poteſt, vt cui per anguſtos vitae cancellos, quibus circumſcripta illa eſt, tuto liceat per ſe quorumuis morborum originem, naturam, cauſſas, ſigna, medendique viam perſpicere, niſi velit identidem labi, atque hinc in turpiſſimos errores incidere, aut, ex PLINII a) ſententia, *experimenta per mortes agere.* At vero ſi fata noſtrae artis et praeclariſſimi eiusdem inuentores, correctores, et emendatores, vindices, ſtatores, coryphaei, non latuerint medicum, bone deus! quantum vtilitatis atque commodorum exinde in eum redundare neceſſe eſt.

Eſt enim haec hiſtoriae pars, vt cum *Io. Henr. Schulzio* b) loquar, *quaſi inuentarium quoddam, et deſcriptionem fundi cuiusque diſciplinae praebet, ex qua diſcas, quam quiſque particu-*

a) Hiſt. Nat. XXVIII. 1.
b) In Praefat. ad Hiſtor. Medicin.

ticulam eius diuerſis temporibus accuratius coluerit, et quo modo cultam aliis tradiderit; iine ſucceſſores parta tuiti fuerint, an amiſerint, contenti paratis et acceptis fuerint, an ampliora acquiſiuerint, vetera ſubruerint et prorſus ab integro noua condiderint, an labem minitantia tibicinibus quibusdam et ſubſtructionibus munire, vel noua incruſtatione commendare ſatis habuerint; quae ſingula in quauis diſciplina recte pernoſſe adeo iuuat, vt vere videamus illos, qui talia requirere non curauerunt, nec ipſos eam recte intelligere, nec ſine confuſionis et errorum multiplici periculo de vlla re iudicium ferre poſſe.

Haec ſane, ſi qua in diſciplina alia, in medicina ſunt multo veriſſima. Continetur enim ars noſtra tota, quanta quanta eſt, vſu et experientia: Cui ſi acceſſerit ratio, tunc demum vera errorisque expers eſt. Iam vero cum illa non heri atque nudius tertius inuenta ſit, ſed ſtatim ac labefactata hominum valitudo fuit, ſenſim pedetentimque proceſſerit, donec in magnam hanc multiplicemque formam abiit; mirum profecto poteſt eſſe nemini, in tantum accreuiſſe inuentorum, experimentorum, opinionum, placitorumque multitudinem, vt ſine pleniori hiſtoriae huius cognitione non poſſis vbique in cauſſarum inueſtigatione certus eſſe, aut feliciter aegris manum admouere. Tunc enim hiſce inſtructo tibi praeſidiis facile ad perſpiciendum eſt, quid quouis in morbo fecerint atque ſenſerint cum veteres, tum recentiores medici, aut qua ratione ſcopuli euitandi ſint, ne iis imprudenter adhaereas.

Neque

Neque mehercle vllus errandi metus eſt, in morem DEMEAE apud TERENTIVM c) velis te componere. Si enim ille:

Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium
Iubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.
Hoc facito — hoc fugito: — — —
Hoc laudi eſt, — — hoc vitio datur.

Haec enim ſola res impedit, quo minus ex auctoritate magni cuiusdam viri vnice pendeamus, aut ſimus partium ſtudio vllo modo dediti. Etenim ſi ſcias, quantum ſit, quod veteres medici prorſus neſcierint, recentiores vero aut obſervando inuenerint atque adiecerint, aut etiam nouaturiendo corruperint potius, quam emendarint, tunc non poteris non mediam, eamque tutiſſimam viam eligere, adeoque artis noſtrae inuentores admirari, colere atque laudare ſic, vt virum probum decet, noſtros autem homines non ſpernere, modo pomoeria eius recte curarint proferenda.

Porro habet id commodi curatior atque penitior hiſtoriae medicae ſcientia, primum, vt legendis omnis aeui medicis, iuſtum vtrisque poſſis ſtatuere pretium; deinde modum, quo quaeque doctrina inuenta, exculta, demonſtrata et mutata identidem fuerit, ſatis intelligere; denique veras virorum bonorum et praeclarum HIPPOCRATIS magni exemplum ſequentium imagines coram intueri, quaſique in eorum ſocietatem deſcendere, nulla ſeculorum ſerie aut iniuria hominum prohibente. Qua cognitione ſi probe inſtructus fueris, nulla pro-

c) Adelph. Act. III. Scen. III. v. 61. ſequ.

fecto morbi forma vel dici poterit, vel commemorari vnquam, quin eam animus assidua magnorum medicorum lectione praeparatus, subactus et munitus quasi facile superet.

Digna sunt haec ingenii humani monimenta, quae nullo non tempore legantur, relegantur, et quasi memoriter ediscantur: Dignae sunt res atque placita, quae litteris consignata reliquerunt, scitu atque commemoratione nostra: Digni denique laude omni et gloria ii sunt, qui magno cum labore, diligentia assidua, studioque multo haec omnia hinc inde dispersa in vnum quasi corpus collegerunt, percensuerunt, diiudicarunt, et in vsum medicorum quasi propinarunt.

Contigit (fateor) perpaucis esse tam felicibus, vt omnem historiae medicae ambitum emetirentur, atque quaeuis praeclare facta et dicta proponendo ante oculos, magnorum omnis aeui virorum nomina et famam ab obliuione vindicarent. Videtur ergo nec spernenda illorum diligentia, qui singulas praeclari huius operis partes sibi sumunt pertractandas, modo in indagando et inquirendo nihil vel auctoritati, vel praeiudicatae opinioni dent. Immo vero si dicendum, quod res est, illis certe anteferendi sine dubio sunt, quippe sine hisce praesidiis priuis quasique solitariis perfecta historia medicinae nulla est. Elaborandum in hac illaue parte prius est sedulo, et tunc demum velim magnus aliquis vir existat, qui, spretis tot improbi laboris fastidiis, posthabitaque maleuolorum hominum inuidia, vltimam manum atque limam operi toti admo-

admoueat. Id quod vt breui accidat, et in artis noſtrae commodum eueniat, ex animo opto.

Interea vero ne plane otioſus videar aut vtilitatis publicae minus curioſus, ea me inceſſit lubido, vt, quae paſſim in legendo meo HIPPOCRATE animaduerteram, et ab magnis viris illuſtrique loco poſitis intellexeram aut prorſus negligi, aut ex praeiudicata ſaltem opinione diuinique ſenis auctoritate explicari, ea ſua quaeque luce collustrarem. Eſt ex hoc genere, ni fallor, magna illa quaeſtio, *Aegyptii et* HIPPOCRATES *Cous corpora humana inſecuerint, nec ne.*

Qua de re cum nuper in cenſura Hippocratica [d]) meam qualemcunque ſententiam obiter declaraſſem, factum eſt, vt multi, iique auctoritatis et doctrinae haud contemnendae viri, hanc diuini HIPPOCRATIS manibus illatam iniuriam male ferrent, maximeque omnium philologus quidam Gottingenſis [e]), qui SCHNEIDERVS eſſe dicitur, ſtud. et ſeminarii philologici ſodalis, idemque ille, qui nuper quaedam in *Anacreonta* magno cum contemtu aliorum, in primisque PAWII, ſcripſit. Poterat enim ille ac iure ſuo debebat cenſurae noſtrae maculas detergere atque diluere, modo verae eſſent, nec inuidioſius prolatae. Poterat HIPPOCRATIS et Aegyptiorum anatomen defendere, modo ſuis argumentis non deſtitueretur.

Sed profecto idem illud eſt, in quo non ſatis ſibi cauit, eaque re ſola demonſtrauit, ſe in hiſto-

d) Cenſ. Libror. *Hipp.* c. III. §. 57. p. 184.
e) Philolog. Biblioth. Band I. Stück VIII. n. 3. p. 417. ſeq.

hiſtoria medicinae veterumque medicorum lectione hoſpitem ac peregrinum eſſe. Qui ſi nobis cognitionem ſermonis graeci permediocrem, linguam balbutientem, aetatis iuuenilis leuitatem et inconſtantiam, librorum bonorum penuriam, et id genus alia, exprobraſſet, nihil profecto feciſſet, niſi quod dudum et ipſi praeſenſeramus, et profeſſi eramus publice. Etenim, vt bene HORATIVS f),

Nec ſcire fas eſt omnia,

nec primitiae ſemper ſunt omnibus numeris abſolutae. Age igitur, quot falſa ſuo ille iudicio admiſcuerit, videamus.

Sunt vero, vt paucis vtar, quod HIPPOCRATES HOMERVM *ipſum* mea quidem ſententia *breuitate ſuperet, atque* GALENI g) *teſtimonium, quod ego ibidem adduxeram, ille nuſpiam extare profiteatur: deinde voculas atque*

f) Carm. L. IV. Od. IV. v. 22.

g) Sic equidem dixeram ex fide atque auctoritate *Galeni*, loco ipſo infra ſcripto: quem etſi nunquam inſpexit, tamen audacter negandum cenſuit. Sed vere extat L. De Comate c. 3. p. 196. T. VII. ed. *Chart.* ſuntque verba, ni fallor, haec: Οὐ γὰρ ἦν τῶν ματαίως τὰ ὀνόματα ἐπιτιθέντων οὗτος ὁ ἀνὴρ, οὔτ᾽ ἀνοήτως πρόσκειται τῇ καταφορᾷ τὸ, νωθρὰ, οὔτε φησιν, ὥσπερ Ὅμηρος, ὑγρὸν ἔλαιον, καὶ γάλα λευκὸν, μηδενὸς ἕνεκα διορισμοῦ. καὶ γὰρ πᾶν γάλα λευκὸν, καὶ ἔλαιον ὑγρόν· ἀλλ᾽ ἑκάστη λέξις καὶ συλλαβὴ πᾶσα πρᾶγμά τι σημαίνει παρ᾽ αὐτοῦ. *Non enim erat eorum, qui fruſtra imponunt nomina, vir iſte, neque ſtulte adiacet cataphorae hoc, ſcilicet, pigra, neque dicit, ſicut Homerus, humidum oleum et lac album, nullius determinationis gratia. Etenim omne lac eſt album, et oleum humidum; ſed vnumquodque vocabulum et ſyllaba omnis rem aliquam ſignificat ab eo.* En certum, et indubitatum SCHNEIDERI iudicium ſcilicet!

que res inuidiose in malam partem trahat, et pro arbitrio transponat h); *carpat praeterea ve-*

h) Huius generis sunt, quod ex *Galeni* testimonio *Hippocratem non semper breuem esse* dixeram. Hoc quidem (fateor) verum est; Sed quod eandem ob caussam, si qua res bis terue multifariam repetatur, quosdam libros reprobarim, minus est. Diuersas enim et abhorrentes a se inuicem sententias, si quae in illis leguntur, vrgendas iure meo censui. Deinde adhibui nonnunquam vocabulum, *infamis;* id quod eum tam male habuit, nihil vt supra. Sed, pace magni nostri iudicis, non meminit tum, cum haec scriberet, *Horatii*, Carm. L. II. Od. XIV. v. 18. apud quem est, *Danai genus infame;* et L. III. Od. XXVII. v. 45. *infamis iuuencus.* Similiter *Ouidius* Metam. IV. v. 285. *Crocus — vnde sit infamis*, et L. V. v. 148. *Caelo genitore infamis Agyrtes.* Porro est apud *Terentium* Heaut. Act. V. Sc. IV. v. 14. *flagitiis infamem fieri*, immo vero et apud *Ciceronem* Orat. pro *Cluent.* c. 47. *homines vitiis infames* cet. commemorantur. Quod si de hominibus atque floribus valet, quidni etiam bis terue dici a nobis potuit, *liber ratiociniorum multitudine infamis*, quia haec procul ab libris *Hippocratis* magni genuinis abesse iusseram, aut etiam, *libro huic ea inurenda est nota infamiae, quia* cet? Tertio alicubi voc. *vxoris cura et consuetudine* vsus sum ad epistolam aliquam Hippocraticam reprobandam: Id quod delicatulus noster iudex more suo in malam partem interpretatus est. At vero sine dubio iterum oblitus erat, hanc *consuetudinis* vocem in vtramque partem apud Latinos dici, adeoque si vere *Hippocrates Dionysio* haec iussit; Ἐπισκόπεα δὲ ὅμως καὶ τὰ ἐκείνης. *Attamen et illius res inspecta!* necesse etiam fuit mea quidem sententia, qui *Dauus sum, non Oedipus*, consuetudine mulieris i. e. societate honesta, vteretur. Neque etiam τὸ ἀκόλαστον, quod feminis natura sua inesse dicitur, idque sedulo resecandum, quam vero vocem nos iterum non satis intellexisse videmur. SCHNEIDERO optimo per graecae linguae inscientiam scilicet, tolli vllo modo potest, nisi talis morum inspector atque censor cum muliere viuat. Tandem Coi senis μυθολογέειν, quod Ionibus est, *ferunt*, *aiunt*, minus perspexisse videor, quoniam haec per *fabulam* explicueram, et more suo,

ipsum mea quidem sententia *postulare videbatur; quod interdum auctorem alicuius libelli Hippocratici et laudarim et simul reprehenderim*[1]); deni-

vt *Galeni* verba huc ex versione adscribamus. *Quaenam fuerit Chiae crepidae forma*, inquit ille, *non satis patet, quoniam neque Hippocratis seculo in vsu erat: atque idcirco inquit, ad eam formam, quam Chiae crepidae habebant, cum potuisset dicere, habent. Constat autem infantibus, cum diriguntur, id calceamenti genus maxime idoneum esse, quod ad vnguem pedem excipit, et carnem non comprimit: Ad quam rem spectantes, parare nunc idoneum calceamentum poterimus, quamvis cuiusmodi Chiae crepidae fuerunt, non requiramus.* Et Text. 12. l. c. *Pueri vbi tuto ingredi possunt, calceis vtantur licet, quos Hippocrates* ἀρβύλας *appellat. Est autem calceamenti genus cauum, quod arcte pedem vniversum exquisite vsque ad talos complectitur* cet. Denique de *cretico calceamenti genere* haec Text. 14. p. 435. leguntur. *In Asia nostra, et non minus in Creta, nunc calceamenta in vsu sunt, quae ad medium vsque crus pertinent, in quibus fissa pellis est multis locis, et ab vtraque parte, dextra scilicet et sinistra, aequaliter extenta: extremis partibus foramina habet, per quae traiectum lorum partes pellis incisas inter se contrahat. In aperto autem est, huiusmodi calceis pedem cum vniversa commissura, quae ad talos est, contineri atque adstringi. His autem vtuntur apud nos venatores potissimum, cum feras sectantur, quandoquidem in asperis atque inaequalibus locis non solum currere, sed saltare etiam coguntur. Eadem caussa Cretenses ad talium calceorum vsum impulit ob vastos insulae montes atque asperitatem.* Hactenus *Galenus*. Vides ergo, L. B. *Foësium*, an *Galenum* auctorem potissimum secuti simus.

1) Haec ego de auctore libelli, De Insomn. c. III. §. 36. p. 137. vt reliqua taceam, praedicaram, nimirum *eum fuisse a superstitionis labe alienissimum, omne vero, simul adhibuisse ingenii acumen, et ratiocinia haud pauca.* Prius certe, si quid video, laude omni dignissimum est, posterius vero ex scito et sumtione nostra dedecet diuinum *Hippocratem*, qui, *Galeno* teste, cuncta θεωρήματα procul abesse iusserat, adeoque hunc librum repro-

denique *quod vitia operarum* m), *tanquam inſcientiae noſtrae documenta, magno cum clamore extollat*, et prae ceteris de *anatome Hippocratea me aliter ſentire male fert*, etſi (ingenue fateor) mea verba vel non intellexit ſatis, vel ſaltem intelligere noluit.

Ego enim PAVSANIAE aereamque hominis tabe confecti effigiem, nec non ſceletorum apud Aegyptios vſum ſufficere ad demonſtrandam eorum anatomen diſerte negaui, aliter vt IO. HENR. SCHVLZIVS n) ceterique hiſtoriae

probandum atque tollendum cenſui. Caue ergo, o carum capitulum! ne in poſterum alios indicta cauſſa damnes, aut ſaltem incautis lectoribus fucum des. Laus enim et reprehenſio hic certe locum habere poſſunt, iudicis vero eſt, ni fallor, ſemper verum ſectari.

m) Sunt hoc ex genere, ἄρδειν pro ἄρδεσθαι, et omnium maxime c. III. §. 58. p. 191. locus ille Homericus, qui libro *De Articul.* legitur, et *Vectiar.* excidit. En noſtra verba, vt operarum vitio prodierunt. *Habet hic liber plurima, quae alias occurrunt, ſimiliterque illum de bobus apud Homerum locum*

Καὶ διότι λεπτοτάτοι βόες τηνικαῦτα,

quem etiam L. περὶ ἄρθρων *memini me legere.* Et in not. *Hunc etiam verſum ab editionibus Homeri exulare cognouimus.* Ecquis eſt, qui hic quaedam deficere non intelligat? Nonne potius, modo rite memini, quae olim deſcripſeram, ſic legendum ſine dubio eſt: *Similiterque illum apud Homerum locum*

Ὡς δ' ὁπότ' ἀσπάσιον ἔαρ ἤλυθε βουσὶν ἕλιξιν,

quem tantum per τό, τε Ὁμήριον, *innuit, ſic, vt etiam illico hiſce verbis progrediatur:* Καὶ διότι λεπτότατοι βόες τηνικαῦτα cet. Scanſionem ſaltem hexametrorum graecorum dudum in ſchola Gorlicenſi, duce ac magiſtro *Geiſlero* meo, didiceram. Neque etiam notula noſtra eius opinioni fauet, ſi quidem haec verba in libro *De Articul.* ne leguntur quidem.

n) Hiſtor. Medicin. Per. I. Sect. I. c. III. §. 16. p. 27. maximeque in Spec. Anat. I.

riae medicae ſcriptores voluerunt. Quos ſi legiſſet magnus ille aduerſarius, aut ſaltem obiter inſpexiſſet, fieri profecto nullo modo poterat, vt in nos tam iniurioſus et inhumanus eſſe, nobisque adiudicare, quae ne per ſomnium quidem cogitaueramus. Deinde SCHNEIDERVS nullam temporum rationem habuit, quod HEROPHILVM poſterioresque anatomicos teſtes adduxit ad HIPPOCRATI famam ſuam vindicandam. Eo enim tempore ſuperſtitio hominum non tanta fuit, quantam Coi ſenis aetate fuiſſe certo ſcimus.

In eundem errorem incidit, cum Aegyptiis ſemper ac vbiuis ad conuiuas admonendos vera mortuorum corpora fuiſſe adhibita perhibet, atque HERODOTI, PLVTARCHI, DIODORI SICVLI teſtimoniis vtitur, quae eius opinioni non, niſi ex parte fauent, vt alio loco pluribus demonſtraui. HERODOTVS o) *ſaltem* expreſſis verbis *lignea ſimulacra* nominat, et DIODORVS SICVLVS p) vera corpora *tantum a diuitibus* expoſita fuiſſe auctor eſt.

Vides ergo, L. B. quae fides tali tamque proletario iudici habenda ſit. Ego certe, cum tot tamque duras iniurias legerem, miratus ſum iuuenis huius immodeſtiam dicam, an petulantiam, qui veris falſa, mala bonis adiungenda exiſtimauit, modo ceterorum famam laederet, fucumque daret lectoribus. Venit tunc temporis in mentem illud apud TVLLIVM q):

Nunc

o) Hiſtor. II. 88. p. 118. ed. *Gale.* vbi adducit νεκρὸν ἐν σορῷ ξυλινὸν cet.

p) Biblioth. I. p. 82. ed. *Rhodom.*

q) De Orator. III.

Nunc ad honores adipiſcendos et ad rempublicam gerendam (adde, ad iudicis munia obeunda) *nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati.* Hinc enim factum eſt, vt voculas iudex noſter ſtudioſe ſectaretur, re non ſatis, vt fas erat, perſpecta, idque, vt cum PETILIO CVRIALI apud TACITVM[r]) loquar, *quia apud eum verba plurimum valent, bonaque ac mala non ſua natura, ſed vocibus aeſtimantur.*

De reliquo tanto tamque praeclaro iudici gratias habeo et aio, quod me tam duriter admonuit. Cautior enim et in legendo, et credendo factus ſum, ſiquidem CLERICVM et SCHVLZIVM poſthaec haud raro falſos deprehendi. Neque deſiſtam, quae demum cunque manca, mutila vel non ſatis accurata ſint, corrigere atque cum HIPPOCRATE meo reliquisque auctoribus denuo conferre, et fortaſſe ſenex tandem meliora dabo, quae iuuenis infeliciter aut ſaltem inuita Minerua, vt huic iudici grauiſſimo ſcilicet et perſpicaciſſimo viſum eſt, agreſſus fueram. Porro habebit et res medica ſuas illi nec opinanti gratias, ſi qua in re illud argumentum, *quod in anatome Aegyptiorum et Hippocratis verſatur*, melius atque plenius attigimus. Sin vero aliter, tunc etiam SCHNEIDERVS ſolus, quantus quantus eſt, culpandus erit. Qui niſi mecum tam inhumaniter egiſſet, nunquam profecto ad improbum laborem taediique pleniſſimum me accinxiſſem iterum, par-

tim

r) Hiſtor. IV. 73.

tim quia facilis in re coniecturali, nec satis definita errandi metus est, partim quia multi sunt in HIPPOCRATIS veneratione nimii, adeoque cum eum corpora humana insecuisse pernegarem, dura quorumdam iudicia pertimescenda videbantur.

Quicquid vero iniuriarum subeundum sit, L. B. aut telorum venenatorum excipiendum, animus est nunquam perhorrescere, siquidem, vt apud SENECAM TRAGICVM s) est,

Caelestis ira, quos premit, miseros facit,
Humana nullos.

Verum et si quid pro vero habuero argumentis suffultus idoneis, publice profiteri non verebor in posterum, ita tamen, vt nulli a me fiat iniuria, et si forte recedendum a vulgari communique opinione fuerit, amica certe mea erit dissensio. Nunquam enim temere labar ad opinionem falsam, aut aliquid adsciscam, quod vel experientiae, vel disertis auctorum verbis repugnet, aut tandem res comprobabo vel reprehendam incognitas: id quod a viri probi persona cum maxime abhorret.

Collegi certe diligenter omnia, quaecunque in veterum atque recentiorum scriptorum monimentis extare animaduerteram, adeoque si qua firma et satis certa de Aegyptiorum et HIPPOCRATIS Coi anatome videbantur, ea ingenue protuli et quouis modo corroboraui, probabilia vero et falsa more meo, i. e. non, nisi argumentis idoneis fretus, tollenda et subruenda

s) Hercul. Oet. Act. II. v. 441.

ruenda censui. Neque profecto illud boni senes, quos maximi facio, male ferrent. *Nam si eos docuisset aliquis* [t]), *quam vim habere diceretur* nostra opinio, *desinerent irasci; ne nobis quidem succenserent, cum didicissent, id tollere nos, quod nusquam esset: quod autem satis esset ipsis, relinquere.*

Similis ratio est, si *de mortis genere, quo Cleopatra regina periit*, quaeritur. Dixi enim hoc de argumento medico, vt medicus, atque studio deditaque opera omittendum putaui, quidquid non presse huc spectare videbatur. Videant ergo iudices, ne, si qua deficiant, statim nos acriter moneant, quasi piaculo sit, tantas tamque praeclaras res obiter attingere, semperque velim meminerint, me, quantum in me erit, superflua et a proposito meo aliena deuitaturum, at vero bene vel male facta non item, modo a vero non abhorreant. Ego enim similiter vt ATTICVS apud CICERONEM [u]), *intemperantis esse arbitror, scribere, quod occultari velit*, adeoque viri boni esse, quae vere sentiat, suo tempore publice profiteri.

Testes saltem, si opus erat, adduxi locupletissimos, qui quaedam notatu digna de *Cleopatrae* morte memoriae prodiderunt; contuli omnia fideliter, et tandem aspidas solas putaui accusandas. Accedit, quod si qua de venenorum natura nobis succurrebant, ea breuiter ex fide auctorum veterum repetiimus. Etenim singula loca hinc inde dispersa colligere, recensere, atque

t) Apud. *Cic.* Quaest. Acad. IV. 47. u) Ibid. L. I. 1.

que demum iudicare, quae cuiusque veneni vis ſit, aut cui potiſſimum plantarum noſtrarum illae reſpondeant, id nimis alienum a noſtro fuit propoſito, quia neque Graecorum atque Latinorum rem herbariam ſcribere placuit, nec voculas ex more quorumdam hominum aucupari. Spero tamen non ſolum, verum etiam confido, fore, vt in poſterum aliqua id genus ſpicilegia foras dare queam, quae quicquid veteres de cuiusque plantae natura et viribus dixerint, in ſe complectantur, iisque quaſi via pandatur ad materiam medicam, qualis priſcorum fuit, feliciter abſoluendam. Sed haec hactenus.


Id vnum peruelim, L. B. vt, ſi quam argumenti mei partem aut leuiter attigerim, aut prorſus a vero deflexiſſe videar, aequo feras animo. Etenim, vt bene comicus v),

Tuum eſt, ſi quid praeter ſpem euenit, mihi ignoſcere:
Paruum ſucceſſit, quod ago: at facio ſedulo.

Ceteros vero, qui quae carpant, vbiuis vident, idque ſaepe numero, vt aliis multo perſpicaciores eſſe videantur, equidem curare nec volo, nec poſſum. Nam w)

Quid cum illis agas, qui neque ius, neque bonum atque aequum ſciunt?
Melius, peius, proſit, obſit; nihil vident, niſi quod lubet.

Quare vale, L. B. mihique, ſi tanti tibi videor, fauere perge. Scripſi Ienae cIↃIↃCCLXXIIII.



I. DE

v) Ap. *Terent.* Andria Act. IV. Sc. I. v. 54. ſequ.
w) Ibid. Heautont. Act. III. Sc. 1. v. 29. ſeq.

I.

DE

AEGYPTIORVM VETERVM ANATOME.



I.

DE AEGYPTIORVM VETERVM ANATOME.



Cogitanti mihi ſaepenumero priſci aeui felicitatem, qua, quicquid praeclare excogitatum a maioribus eſt, aut laudabiliter geſtum, ſummis ab iis efferri ſolet encomiis, quibus antiqua ſola placent, venit in mentem ſubuereri, ne hac in re plus tribuant amori et partium ſtudio, quam per rerum geſtarum veritatem liceat, aut argumenti dignitas poſtulet. Magna ſunt (fateor) veterum nationum merita, ſi ad iſta tempora animum appuleris; at vero hodie maximam partem perexigua, nec magni hercle momenti, ſi tot tantorumque ſeculorum inuenta, quibus poſteri gaudent et tantum non abundant, ad illa bonarum artium doctrinarumque rudimenta et tyrocinia conferas.

Hinc profecto ii, qui haec vndiquaque in compitis atque compluuiis crepant, inter pocula ad rauim vſque extollunt, cum in ſe ipſos viden-

tur iniurii, tum in feculi noftri gloriam omnium maxime inuidi. Bene enim, vt omnia, SENECA [a]): *Veneror*, inquit, *inuenta fapientum inuentoresque; Adire, tanquam multorum hereditatem, iuuat: Mihi ifta acquifita, mihi laborata funt. Sed agamus bonum patremfamiliae. Faciamus ampliora, quae accepimus. — Multum adhuc reftat operis multumque reftabit, nec vlli nato poft mille fecula praecludetur occafio aliquid adhuc adiiciendi.* Sed quorfum ifthaec? Vt modum et in laudando et vituperando feruemus, neque praeiudicatarum opinionum lenociniis abrepti huc illuc trahamur, fcopulisque imprudenter adhaerefcamus.

Tanta enim, vt hoc vtar, femper fuit et eft etiamnum *Aegyptiorum* apud plurimos auctoritas atque veneratio, vt, quicquid nugarum protulit callida facerdotum cohors et credula quafi per manus tradidit plebecula, magna cum animi laetitia excipiant, ornent, illuftrent, atque ftudio deditaque opera ad pofteros propagent. At Aegyptus belli facinoribus fortiffimas quasque nationes fuperauit, et pacis artibus prae caeteris exfplenduit. Scio. Magna in laude apud omnes funt Aegyptii, *quod genus hominum conftat*, auctore A. GELLIO [b]), *et in artibus reperiendis follertes extitiffe, et in cognitione rerum indaganda fagaces.* Scio. Fuere philofophis graecis auctores atque duces ad litterarum bonarum ftudia; Scio et illud, neque nego, doctrinae melioris femina ab Aegyptiis repeten-

a) Ep. 64. p. 186. T. II. ed. Lipf.

b) Noct. Attic. XI. 18. p. 160. b. ed. *Aldin.*

petenda eſſe; id vnum tamen cum HERM. CONRINGIO c) nego et pernego, hanc eorum ſcientiam tantam fuiſſe, quantam vix et ne vix quidem noſtra aetate cogitando adſequi poſſis. Hoc enim, ſi quid video, veritati reliquisque teſtibus idoneis prorſum repugnat, quicquid contra dicant RIOLANVS d), OLAVS BORRICHIVS e), ceterique mirificae huius ſapientiae admiratores.

Haec enim omnia innituntur aut Aegyptiorum ſacerdotum narratiunculis, quorum fides quam vana ſit ac lubrica, vel ex eo licet colligere, quod eodem, quo Sinenſes, fere modo ad famam maioris gloriae conſequendam origines gentis ſuae vltra mundi initia extenderint; aut etiam exteris debentur hominibus, qui quo rudiores ab his litteris erant, cum in Aegyptum concederent, eo maiori clariorique luce omnia coruſcare arbitrabantur, quae per ſacerdotum leges cum profanis communicare licuit. Hinc, teſte HOMERO f) Aegyptus

Πλεῖστα φέρει, ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Fertilis Aegyptus rerum, medicamina mixta,
Optima multa, ſimul deterrima plurima, gignit.

A 3 Hinc

c) Introduct. in Medicin. c. 2. p. 82. ed. Hal. et Hermet. Med. c. 2. p. 3. ſeq. ed. Helmſt.

d) Anthropol. I. 11. p. 75.

e) De Hermet. Aegypt. et Chem. Sapient. c. 1.

f) Apud *Galen.* Introduct. c. 1. p. 360. T. II. ed. *Chart.*

Hinc illae Aegyptiorum in medicina laudes apud PLATONEM g) et PLVTARCHVM h) praedicantur. At vero ſi rite memineris, quam curtis cancellis natura ingenium humanum circumſepſerit, et quam mancae ac imperfectae ſint primae artium diſciplinarumque formae, facile conficitur, nec diuinam prorſum eſſe vniuerſam Aegyptiorum ſapientiam, omnibusue numeris abſolutiſſimam, nec doctrinae huius partes melius faciliusue, quam hiſce noſtris temporibus, excultas fuiſſe.

Quarum in numero prae ceteris eſt ANATOME, quae, dici vix poteſt, quantopere a multis extollatur, et nihilo tamen ſecius, ſi veterum ſcriptorum monimenta gentisque ipſius ſuperſtitionem conſulas, ea aut nulla omnino eſt, aut nobili ſane illo doctrinae nomine vix digna. *Oſiris* et *Iſis*, quanta apud Aegyptios eorumque cultores nomina! Quanta eorum in ciues ſuos et omnem terrarum orbem merita! Ille enim, pacis artibus clarus, Aegyptios cum maxime terram aratro ſubigere docuit, TIBVLLO i) teſte:

Primus aratra manu ſollerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitauit humum.
Primus inexpertae commiſit ſemina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura caedere falce comam.

Huc

g) In Vita *Platon.* ap. *Diogen. Laert.* L. III. p. 168. ed. *Meibom.*
h) L. Brutor. Sollert. p. 974. T. II. ed. *Xyl.*
i) Carm. I. Eleg. 7. v. 29. ſequ. ed. *Heyn.*

Huc accedit, quod et inuentorum medicinae coryphaeus habeatur, vt PLINIVS [k]), HIER. MERCVRIALIS [l]) aliique litteris consignatum reliquerunt, et apud THEONEM [m]) πρεσβύτατος βασιλεὺς πάντων Ὄσιρις appelletur. Sed de hac medicinae gloria quantopere olim decertarint nationes veteres, optime norunt ii, qui eorum monimenta diurna nocturnaque manu versant. Hinc fortasse fieri potuit, vt apud PLVTARCHVM [n]) μέγας βασιλεὺς ἐυεργέτης Ὄσιρις, nec non alio loco ἀγαθόποιος nominaretur, etsi, si dicendum, quod res est, hoc nomen potius a bene merendi studio ductum videatur, quam a medendo, quippe, auctore DIODORO SICVLO [o]), multa πρὸς ἐυεργεσίαν τοῦ κοινοῦ βίου fecerat.

Idem illud de *Iside* valere videtur, quae ex poetae mente

Prima dedit fruges alimentaque mitia terris;

Prima dedit leges,

eaque medicinae, et in primis anatomes cognitione gauisa credebatur, vt etiam per quietem miseris aegris adesset, et quamcunque corporis labem insanabilem feliciter tolleret. Sic enim DIODORVS

k) Hist. Nat. VII. 56.

l) Var. Lect. II. 18. p. 47.

m) L. de Musica c. 47.

n) L. De *Iside* et *Osirid.* p. 355. T. II. ed. *Xyl.*

o) Biblioth. L. I. p. 13. T. I. ed. *Rhodom.*

SICVLVS p): Φασὶ δ' Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγείαν εὑρέτην γεγονέναι, καὶ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης μεγάλην ἔχειν ἐμπειρίαν, καὶ τὸ σύνολον πολλὰ μηχανήσασθαι. διὸ καὶ νῦν τυχοῦσαν ἀθανασίας ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιστα χαίρειν, καὶ κατὰ τοὺς ὕμνους τοῖς ἀξιοῦσι διδόναι βοηθήματα, φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τήν τε ἰδίαν ἐπιφάνειαν, καὶ τὸ πρὸς τοὺς δεομένους τῶν ἀνθρώπων εὐεργετικόν — κατὰ γὰρ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην διδόναι τοῖς κάμνουσι βοηθήματα πρὸς τὰς νόσους, καὶ τοὺς ὑπακούσαντας αὐτῇ παραδόξως ὑγιάζεσθαι καὶ πολλοὺς μὲν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν διὰ τὴν δυσκολίαν τῶν νοσημάτων ἀνελπισθέντας, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι, συχνοὺς δὲ παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὁράσεις ἤτινα τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ σώματος, ὅταν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφεύγωσιν, εἰς τὴν προϋπάρξασαν ἀποκαθίστασθαι τάξιν. *Isin multa sanitati hominum pharmaca inuenisse Aegyptii tradunt, vtpote quae scientiae medicae fuerit peritissima, adeoque multa sollerter excogitasse. Quam ob caussam nunc quoque ad immortalitatem elata, sanatione hominum maxime gaudeat, et in somnis, si quis opem expetierit, manifestam numinis praesentiam promtamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat. In somnis enim adsistentem aegrotis remedia contra morbos subiicere, eique morem gerentes nec opinato conualescere. Multos etiam a medicis propter morbi difficultatem desperа-*

p) L. c. p. 22. cf. De Iside, eiusque sacerdotibus *Caelius Rhodigin.* Lect. Antiqu. III. 12. p. 125. ed. *Ald.*

ſperatos ab hac ſalutem accipere, plurimoſque oculis prorſum captos aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad deae huius opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui. Hinc IVVENALIS q) more ſuo, i. e. lepide ac perbelle;

Decernat, quodcunque volet, de corpore noſtro
Iſis, et irato feriat mea lumina ſiſtro.
Dummodo vel caecus teneam, quos abnego, numos.
Et phthiſis, et vomicae putres, et dimidium crus.
Sunt tanti?

Hinc tot, PLATONE r) teſte, carmina *Iſidis* nomine inſignita; Hinc tot tamque memorabiles apud IAC. SPONIVM s), THOM. REINESIVM t), GRVTERVM tt), aliosque inſcriptiones in deae huius honorem ab aegris prolatae; Hinc tanta tabularum votiuarum multitudo, quas omnium optime his verbis TIBVLLVS u) expreſſit:

Nunc, dea, nunc ſuccurre mihi! Nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Hinc varia apud veteres medicamenta *Iſidis* nomine famoſa, quale illud emplaſtrum eſt, cuius

 paſſim

q) Sat. XIII. v. 92. ſeq.
r) L. De Legib. II. p. 652. T. II. ed. *Steph.*
s) Itinerar. T. I. p. 97. ed. germ.
t) Syntagm. Inſcript. Antiqu. Cl. I. Inſcr. 132. ſequ. p. 167. ſequ. vbi plures id genus inſcriptiones leguntur.
tt) Inſcript. Antiqu. c. I. p. 82. ed. *Commel.*
u) Carm. I. El. 3. v. 27. ſequ. p. 15. ed. *Heyn.*

passim SCRIBONIVS LARGVS v), GALENVS w), AETIVS x), PAVLLVS y), meminerunt. Hinc denique ei pars *Sueuorum sacrificasse* apud TACITVM z) dicitur, confirmauitque illud CL. SCHWABE a) non ita pridem plurimis, etsi, vt in rebus fieri solet coniecturalibus, SCHIRACHIVS b) in quamuis aliam sententiam ingressus est. Sed hac in re, ni totus fallor, omnem dubitandi materiam ea, qua solet, doctrinae copia suetisque dicendi veneribus sustulit TRILLERVS bb) venerabilis, atque simul bene docuit viam et rationem, qua haec *Isidis* religio ex dissitissimis locis atque regionibus ad Germanos aut peruenerit, aut saltem peruenire potuerit.

Nihil iam attinet multa de *Harpocrate* ac *Mercurio Trismegisto* dicere, quorum in humanum genus merita tantis inuoluuntur tenebris, vt non, nisi

v) Compos. Medicam. c. 76. p. 228. Coll. *Steph.*

w) Method. Medend. VI. 6. p. 153. et. Meth. Med. ad *Glaucon.* II. 10. p. 385. T. X. ed. *Chart.* L. Compos. Medicam. per Gen. III. 2. p. 712. et iterum L. V. 2. p. 773. At vero formulae eius descriptio plenior. L. cit. c. 3. p. 780. T. XIII.

x) Tetrabl. III. Serm. I. 45. p. 497. et iterum Tetrabl. III. Serm. III. 12. p. 747. Coll. *Steph.*

y) L. De Re Medic. VII. 17. p. 677. Coll. cit. cf. *Sueton.* in *Vespas.* c. 7. vbi similia de *Serapide* per quietem visa adferuntur.

z) L. De Situ et Morib. Germ. c. 8.

a) Comment. De Moniment. quibusd. Sepulcral. Sachsenb. p. 90. sequ.

b) In Act. Litterar. *Klotz.* Vol. II. P. II. p. 191.

bb) De *Iside*, Dea salutari, et medicis sacra, olim ap. Sueuos religiose culta, v. in Opuscul. T. II. p. 341. sequ.

nisi hoc patescat, fuisse eos viros magnae aucto- ritatis, meritorum laude conspicuos, et in medendi forsitan arte haud inglorios, eamque ob rem dignissimos prae ceteris habitos, qui in deorum numero ponerentur.

Sed mehercle, tantum abest, vt iis, quos adhuc commemoraui, magnam medicinae ac anatomes gloriam velim attribui, vt etiam hanc prae ceteris circumscribendam cancellis suis perexiguis, et tantum non sacerdotum commentis acceptam ferendam esse existimem. Nam, auctore MARCO PALINGENIO [bb]),

Sacerdotum qualis sit vita modusque
Fallendi stultos, quis non videt? —

Omnis enim Aegyptiorum medicina ex ISOCRATIS [c]) iudicio inuentio et excogitatio sacerdotum fuit, et solam sine dubio spectauit victus rationem. Hinc forte ii, qui apud STRABONEM [d]) συγγράφοντες τὰς θεραπείας dicuntur, non, nisi obuias in fanis sanationes collegisse videntur. Fac vero, habuisse eos quandam artis scientiam, misera illa et lacera fuerit necesse est, quippe apud eos nefas fuit formis mali variis variam medicinam adhibere, sed omnia, vt auctor est ARISTOTELES [e]), κατὰ γράμματα fieri oportuit, aut vt

bb) In Zodiac. Vit. Sagittar. v. 617. sequ.

c) In *Busirid.* p. 535. ed. *Wolf.* vbi plura ad hanc rem pertinentia referuntur.

d) Geograph. XVII. p. 801. ed. *Xyl.*

e) Polit. III. 2. p. 467. T. III. ed. *Du Vall.*

vt apud DIODORVM SICVLVM f) dicitur, κατὰ ἔγγραφον νόμον. Huc accedit, quod ipſi, teſte ARISTOTELE, lege prohibebantur, poſt quartum morbi diem aliquid mouere, niſi vellent capitis periculum incurrere. Ex quo inſtituto non potuit non fieri, vt Aegyptiae medicinae conditio poſt multa ſecula eadem, quae olim, eſſe videretur, nec tantis mehercle digna encomiis, vt multis recentiorum videbatur. Nam vbi aut nulla, aut ſuperſtitioſa ſaltem medicina eſt, ibi mortuorum viſcerationibus locus nullus eſſe poteſt.

HERODOTVS g) enim, cum quaeuis Aegyptiorum inuenta particulatim recenſuiſſet, omnem diſſecandorum corporum rationem prorſus neglexit, quid? quod eodem ipſo loco, quo ſingulos ſacerdotum ordines deſcripſerat, anatomicorum ne meminit quidem. Ἡ δὲ ἰητρικὴ, inquit, κατὰ τάδε σφὶ δέδασαι. μίης νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλειόνων. πάντα δ' ἰητρῶν ἐστι πλέα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ κατὰ νηδὺν, οἱ δὲ ἀφανέων νούσων. *Medicina apud eos ſic diſtributa eſt, vt morborum ſingulorum ſinguli ſint medici, neque plurium. Sunt autem omnia medicis refertiſſima. Alii enim oculorum medici ſunt, alii capitis, alii dentium, alii alui reliquarumque partium, alii denique occultorum morborum.* Quare cum nulli apud eos eſſent, qui in anatomen prae ceteris

f) Bibl. II. p. 74. T. I. ed. *Rhod.*

g) Hiſtor. II. 4. p. 91. ed. *Gale.* et II. 84. p. 120.

ceteris incumberent, bone deus! qualis tunc temporis esse potuit huius disciplinae facies! Misera sane illa, manca, paeneque nulla fuit.

At vero, inquiunt, inter *Mercurii* libros etiam quidam περὶ τῆς τȣ͂ σώματος παρασκευῆς, περὶ νόσων, περὶ ὀργάνων καὶ Φαρμάκων, περὶ ὀΦθαλμῶν, περὶ τῶν γυναικείων (*de corporis constructione, morbis, instrumentis et remediis, oculis mulierumque morbis*) commemorantur a CLEMENTE ALEXANDRINO [h]). Recte. Sed est ille testis multo aetate recentior, quam vt fide anteferendus videatur HERODOTO, et haec omnia ex aliorum auctoritate litteris retulit, quae haud raro lubrica est, et ex fabulosis quibusdam libris repetita. Neque enim hi *Mercurii* vere sunt, neque tantis laudibus digni, cum et nugarum crepundiis pleni sint, et sesquipedalia verba blaterent, eodem fere modo, vt ii, qui περὶ χρυσοποιΐας agunt, ac DEMOCRITI, ZOSIMI, STEPHANI aliorumque nomine vulgo circumferuntur. Horum in partem aliquam ferreis sepibus tripliciter conditam, ne quid detrimenti caperent aut profanis oculis polluerentur cum nuper, vel inuito custode, incidissem, omnia inueni insulsis deliramentis refertissima sic, vt temporis male collocati prorsum me poeniteret. Sed haec obiter.

Restant enim alia, quibus omnis Aegyptiorum *anatomes* vis atque auctoritas tollitur. Nam reputanti mihi eorum consuetudinem, qui gentis huius

h) Stromat. VI. p. 457. ed. Lugd. 1616.

huius patroni acerrimique propugnatores extitere, iure meo ſuccenſere atque ſtomachari poſſe videor, quod in explicandis illis artibus ſuae opinioni omnia dederint, caerimoniis ſacris et naturae rei nihil. Perſpectum enim atque cognitum cuique veterum ſcriptorum ſtudioſo eſſe cenſeo, *abſtinuiſſe* priſcos homines cum maxime ab ipſis *extiſpiciis*, atque frugibus auerruncaſſe deorum iram. Ita enim OVIDIVS [i]):

Ante deos hominis quod conciliare valeret,
Far erat et puri lucida mica ſalis! —
Hic, qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri,
In ſacris nullum culter habebat opus.

Nec ab ea ſententia alienus eſt MACROBIVS [k]); *Nunquam fas fuit Aegyptiis*, inquit, *pecudibus aut ſanguine, ſed precibus et thure ſolo placare deos.* Conſtat praeterea inter omnes, *Aegyptios* omnium gentium, ſi quam aliam, fuiſſe *ſuperſtitioni* longe *deditiſſimos*, eoque proceſſiſſe dementiae, vt quamcunque fere beſtiam ſacram facerent. Quarum in numero eminent *feles* [kk]), *canes* [l]), *ichneutae, ibis, vrſi, accipitres*, et ex *aquaticis* τὸ λεπιδωτὸν, quae omnes omnino Aegyptii [m]) coluerunt, at vero

i) Faſtor. I. v. 337.
k) Saturnal. L. I. 7. p. 203. ed. Lugd.
kk) *Strab.* Geogr. XVII. p. 812. ed. *Xyl. Herodot.* II. 66. p. 115. ed. *Gal. Diod. Sic.* Bibl. I. p. 74. ed. *Steph.* immo vero p. 75. adhuc *Ptolemaei* tempore miles romanus, qui *felem ſacrum* interfecerat, morte mulctatus fuiſſe dicitur.
l) *Herod.* l. c. cap. 67. p. 115. *Strab.* l. c.
m) *Strabo* l. c.

vero *crocodilum*, *equos fluuiales* [n]), *ſerpentes*, *lupos*, *oues*, *aquilam*, *leonem*, cet. ſinguli in ſingulis prouinciis [o]) violare auſi non ſunt; *capram* denique ac *hircum* prae ceteris Mendeſii magni habuerunt. Hinc facete PINDARVS apud STRABONEM [p]):

Μένδητα παρὰ κρημνὸν θαλάσσης ἔσχατον,
Νείλȣ κέρας, αἰγίβατοι ὅθι τράγοι γύναιξι μίσγονται.

Mendetis ad vicina mari praecipitia
Cornuque Nili extremum, qua ſalax caprae
Maritus humanam audet inire feminam.

Quare non illepide hanc gentem ſic riſit IVVENALIS [pp]):

Quis neſcit, — qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec; illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibim.
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicae reſonant vbi Memnone chordae,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic caeruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum et cepe nefas violare ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa. Nefas illic fetum iugulare capellae.

Neque

n) *Herod.* l. c. c. 69. p. 116. ſequ. et *Strab.* l. c. p. 811.
o) *Strabo* l. c.
p) Ap. *Strab.* l. c. p. 802.
pp) Satyr. XV. v. 1. ſequ.

Neque abſimiliter reique oppoſite hanc Aegyptiorum ſuperſtitionem deteſtandam cenſuit SEDVLIVS q) Presbyter:

Quis furor eſt, quae tanta animos dementia ludit,
Vt volucrem, turpemque bouem, tortumque draconem,
Semihominemque canem ſupplex homo pronus adoret? —
Arboreis alius ponit radicibus aras,
Inſtituitque dapes, et ramos flebilis orat,
Vt natos caramque domum, dilectaque rura,
Coniugisque fidem, famulos, cenſumque gubernent. —
Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina ſicca rigant, verique hac arte videntur
Transplantatorum cultores eſſe deorum. —

Erant vero haec bruta animantia ea in veneratione, vt, ſi quis iſtorum aliquod occiderit, capitis poena mulctaretur, teſte HERODOTO qq): Τὸ δ' ἄν τις τῶν θηρίων τέτων ἀποκτείνῃ, ἢν μὲν ἑκὼν, θάνατος ἡ ζημίη· ἢν δὲ ἀέκων, ἀποτίνει ζημίην τὴν ἂν οἱ ἱρέες τάξωνται. ὃς δ' ἂν ἶβιν ἢ ἵρηκα ἀποκτείνῃ, ἤν τε ἑκὼν, ἤν τε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη. *Quarum ſi quisquam necauerit, ſi volens, morte mulctatur. Sin nolens, plectitur ea multa, quam ſacerdotes ſtatuerint. Quiſquis tamen Ibin aut accipitrem necauerit, ſiue volens, ſiue nolens, neceſſario morte afficitur.* Quod ſi igitur piaculo fuit, has beſtias interficere, ſiue id fiat

q) Mirabil. Divin. L. I. v. 229. ſequ. Collect. Londin.
qq) Hiſt. II. 65. p. 115.

fiat pro arbitratu, fiue inuitis nobis, multo minus id per leges facras in humanis corporibus fieri potuit, quibus quanta a prifcis hominibus fanctitas attributa fit, fugere, puto, neminem.

Quare etfi quidam apud STRABONEM [r]) facerdotes, cum omnes Aegyptios in milites, colonos et facerdotes diftribui confcriberet, dicuntur ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὸν ἄνθρωπον, tamen id non, nifi de obuiis quibusque valetudinis aduerfae generibus, iisque κατὰ γράμματα medendis, poterit intelligi. Immo vero horum ipforum facerdotum alii, auctore SEXTO EMPIRICO [s]), abftinuerunt prorfum ab animalium capite, alii fcapulam pedesque auerfati funt, alii, vt *Ifidis* facerdotes, carnis ouinae efum penitus damnarunt. Καθαρῷ γὰρ, inquit PLATO apud PLVTARCHVM [t]), ἐ θεμιτὸν ἅπτεσθαι μὴ καθαρῷ. περίσσωμα δὲ τροφῆς καὶ σκύβαλον ἐδὲν ἁγνὸν, ἐδὲ καθαρὸν ἐστι. Ex quo intelligitur, nifi me omnia fallunt, multo magis id genus homines, qui his myfteriis initiati credebantur, fecandorum corporum humanorum ftudium negligere omnino oportuiffe, quippe anatome nec fine membrorum laceratione vlla eft, nec fine fanguinis fordiumque effufione fieri poteft.

Ad

r) Geogr. XVII. p. 787. ed. *Xyl.*

s) Hypotyp. Pyrrh. III. p. 156. ed. Genev.

t) L. De *Ifid.* et *Ofirid.* p. 352. fequ. T. II. ed. *Xyl.* Ibidem facerdotes etiam dicuntur abftinere a leguminibus, carne fuilla, pifcibus quibusdam cet. omniaque cibaria fine fale fumere,

Ad ſubruendam vero hanc de Aegyptiorum anatome ſententiam plurimum, ſi quid video, valet ille veterum nationum ritus, quo *mortuos attingere nefas* exiſtimabatur. Conſentiunt hac in re et recentiores quicunque ſcriptores, et HERODOTVS u) maxime: Ὀυδὲ ψαύσαι ἔξεστι, inquit, ἀυτȣ̃ ἄλλον ȣ̓δένα, ȣ̓́τε τῶν προσηκόντων, ȣ̓́τε τῶν φίλων, ἀλλά μεν οἱ ἱρέες ἀυτοὶ οἱ τȣ̃ Νείλȣ, ἅτε πλεόν τι ἤ ἄνθρωπον νεκρὸν χειραπτάζοντες θάπτȣσι. *Quem ne contingere quidem fas eſt alteri aut proximorum, aut amicorum, niſi ipſis Nili ſacerdotibus, vtpote maius quiddam, quam hominem mortuum tractantibus ad ſepeliendum.* Fuit HERODOTVS ἀυτόπτης myſteriisque his initiatus, adeoque fide digniſſimus. Hinc cum iſta maiorum inſtituta apud Aegyptios nunquam videantur fuiſſe violata, ecquod mirum eſt, ſi multis ſeculis poſt PORPHYRIVS et IAMBLICHVS eadem litteris prodiderunt? PORPHYRIVS v) enim haec de ſacerdotibus Aegyptiis habet: Καὶ νεκρȣ̃ μὲν ἀθιγῆ δεῖν εἶναι τὸν ἐπόπτην. διὰ νεκρῶν δὲ τὰ πολλὰ ζώων αἱ διακωνίαι ἐκτελȣ̃νται. *Ac mortuum quidem ab ſacrorum ſuorum inſpectoribus tangi nefas eſſe ſtatuunt, caeſis tamen victimis deorum euocationes partem maximam peragunt.* Cuius iniurias cum IAMBLICHVS w) vellet retundere, bene eleganterque illam caerimoniam multis explicat: Ἔτι τοίνυν τῶν μὲν ἀνθρω-

u) Hiſt. II. 90. p. 121. ed. *Gal.*

v) In Epiſt. ad *Anebon*. Aeg. praemiſſa *Iamblicho* ed. *Gale.*

w) L. De Myſter. Sect. VI. 1. p. 144.

ἀνδρωπείων σωμάτων ἐπειδὰν ἀπολείπῃ αὐτὰ ἡ ψυχὴ, ἐκ ἔξεσι θιγγάνειν. τῆς γὰρ θείας ζωῆς ἴχνός τι εἴδωλον ἢ ἔμφασις ἐναποσβέννυται ἐν τῷ σώματι κατὰ τὸ θάνατον. τῶν δὲ ἄλλων ζώων ἐκ ἔτι ἀνόσιον ἅπτεσθαι τεθνηκότων. ἐπειδὴ ἐδὲ κεκωνωνήκασι τῆς θείας ζωῆς. Ἔςι τοίνυν πρὸς ἄλλες μὲν τὸ ἀναφὲς οἰκεῖον, οἷον τὲς ὕλης καθαρὲς θεές. *Praeterea corpora humana postquam ea deseruerit vita, non licet tangere. Nam in nostro corpore extinguitur per mortem diuinae vitae strictura, repraesentatio, apparitio. Cetera vero animalium corpora, postquam mortua sunt, attingere non est nefas, quoniam vitam diuinam nequaquam participabant. Accedit et illud, is cultus nonnullis diis est maxime accommodatus, ne quid morticini tangamus, iis scilicet, qui ab omni materia puri sunt.*

Sed vt eo melius patescat, humana corpora sacra fuisse omnisque lacerationis expertia, liceat nobis etiam hunc locum [x]) adducere: Ἀνθρώποις μὲν γὰρ ἐν ὕλῃ κατεχομένοις τὰ ἐςερημένα τῆς ζωῆς σώματα φέρει τινα κηλίδα, διότι τὸ μὴ ζῶον ζῶντι, ὥσπερ τῷ καθαρῷ τὸ ῥυπαρὸν, καὶ τὸ ἐν ἕξει τὸ ἐν ςερήσει μολυσμόν τινα ἐντίθησιν. καὶ διότι τῷ μὴ δύναμιν ἔχοντι τε ἀποθνήσκειν ἐμποιεῖ τινα μολυσμὸν διὰ τὴν φυσικὴν τὸ χεῖρον, πρὸς αὐτὸ ἐπιτηδειότητα. *Corpora vita cessa contaminant homines in materia detentos, quoniam non viuens viuenti maculam quandam inurit, quemadmodum puro impurum, et habitui eius priuatio nocet. Et quoniam, quod iam mor-*

 tuum

x) L. cit. c. 2. p. 145.

tuum est, illud quasi inficit per naturalem eo tendentiam, quod habet in se moriendi potentiam. Similiter etiam sensit EVRIPIDES y):

Τὰ τῆς θεᴕ̃ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
Ἥτις βροτῶν μὲν εἴ τις ἅψηται φόνᴕ,
Ἢ δὲ λοχείας, ἢ νεκρᴕ̃ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει μυσαρὸν ὡς ἡγᴕμένη.
Ἀυτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.

Deae vero damno vaframenta,
Quae si quis quidem mortalium patrarit caedem,
Aut etiam partum, aut cadauera attigerit manu,
Eum arcet ab ara, vt impurum existimans.
Ipsa vero delectatur humanis hostiis.

Videtur hac in re (fateor) IAMBLICHVS sapere PYTHAGORAE doctrinam et recentior esse, quam vt eius testimonio tuto possis insistere; Sed quicunque hanc auctoritatem temere spernunt, ii et male caussae suae consulunt, et se, incredibile, quantum dant turpiter. Constat enim inter omnes, Aegyptios non ex PYTHAGORAE schola prodiisse, sed philosophum hunc potius, quicquid de animorum migratione abstinentiaque ab animantium brutorum carnibus habet, a sacerdotibus istis edoctum fuisse, adeoque non possum non exinde colligere, aut miseram sane et imperfectam Aegyptiorum anatomen fuisse, aut sane, modo hoc

y) In *Iphigen.* in Taur. v. *Iambl.* Sect. VI. 1. p. 282. ed. *Gale.*

hoc placitum rite intelligam, ne vllam quidem. Quicquid enim attingere, aut, vt de Gallis LVCIANVS [z]) ac de Romanis DIO CASSIVS [a]) memoriae prodiderunt, ne adſpicere quidem per leges ſacras licuit, multo minus lacerationibus obnoxium eſſe poteſt.

Fac vero, anatomen illam in artis formam nihilo ſecius redigi potuiſſe, nunquam mehercle faciet profectus laetiores, niſi gens illa deſinat per *ſuperſtitionem* delirare. Dici enim vix poteſt, quantum detrimenti ex hac peruerſa opinione vel apud ipſos chriſtianae doctrinae adſeclas ceperit res medica. Patres enim, relictis priſtinis deorum ſacris, religioni ſibi ducebant, cadauera cultro ſubiicere, ac TERTVLLIANVS [b]) ipſum HEROPHILVM, *quem ſexcentos exſecuiſſe* ait, *vt naturam ſcrutaretur*, *lanium* per contemtum appellare haud erubeſcit. Tam late vero patuit peſtifer ille error, vt ne hodie quidem ab hac ſentiendi ratione prorſum immunes ſint noſtri homines, quibus haud raro turpe putatur, in propinquorum viſceribus morborum ſedes mortisque cauſſam inveſtigare. Quae ſuperſtitio cum tam altas radices egerit, vt nec dum penitus euelli funditusque exſtirpari poſſit, quid, quaeſo, mirum, ſi penes Aegyptios in iſto diſciplinarum crepuſculo nulla prorſus fuit anatome?

 Neque

z) L. De Dea Syr. p. 1075. ed. *Bourdel.*

a) Rom. Hiſt. L. 54. p. 332. et L. 56. p. 361. ed. *Xyl.*

b) L. De Anima, c. 10. p. 481. T. I. ed. *Pam.*

Neque iſtorum *pollinčturam* contra adferri in argumenti fidem velim, cum, quae inde ſcientia anatomica videatur repetenda, nuſquam videam. Primum enim ille *mortuorum ſepeliendorum mos* incredibiliter apud veteres gentes diſcrepare ſolet. Graeci enim, vt LVCIANVS c) auctor eſt, cadauera flammis dare, Perſae humo condere, Indi ſuillo adipe imbuere, Scythae deuorare, Aegyptii d) muria condire; Aethiopes denique, STRABONE e) teſte, mortuos in flammas proiicere, alii domi retinere, ſuillo adipe ceraque circumlitos, alii eos fictilibus loculis terrae circa ſacra loca committere, apud eos iurare, eosque ſanctiſſimos putare ſolebant, alii iterum aliter, id quod more ſuo ſic expreſſerat SILIVS ITALICVS ee):

Haud vlla ante tuam, quanquam non parua fatigent,
Curarum prior exſtiterit. Namque iſta per omnes
Diſcrimen ſeruat populos, variatque iacentum
Exſequias, tumuli et cinerum ſententia diſcors.
Tellure (vt perhibent) is mos antiquus Ibera
Exanima obſcoenus conſumit corpora vultur:
Regia cum lucem poſuerunt membra, probatum eſt
Hyrcanis, adhibere canes: Aegyptia tellus
Clau-

c) L. De Luctu p. 794. T. I. cf. ſimilem Romanorum conſuetudinem ap. *Tacit.* Annal. XVI. 6.
d) *Tacit.* Hiſt. V. 5.
e) Geograph. XVII. p. 822. ed. *Xyl.* cf. *Sext. Empir.* Pyrrh. Hypoth. III. p. 156. ed. Gen. *Cic.* Quaeſt. Tuſcul. I. 45. et, ſi placet, S. *Hieronymum* aduerſ. *Iouian.* II. 6. p. 364. T. II. ed. Pariſ.
ee) De Bello Punico Sec. L. XIII. 467. ſeq.

Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, et a mensis exsanguem haud separat umbram.
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, et longum myrrhata reponit in aeuum.
Quid qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt? Quid qui saeuo sepelire profundo
Exanimes mandant Lybicis Nasamones in oris?
At Celtae vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, et mensis ea pocula seruant,
Cecropidae ob patriam Mauortis sorte peremtos
Decreuere simul communibus vrere flammis.
At gente in Scythica suffixa cadauera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.

Quae cadauerum condiendorum ratio etsi apud gentes varias varia vsu venit, tamen factum fato, nescio, quo est, vt Aegyptii prae ceteris hac de re apud omnes essent clarissimi, et anatomes scientia haud contemnenda gaudere crederentur. Nec mehercle iniuria, si tantas laudes eorum pollinctura meretur, vt GALENO [f]), aut quisquis introductionis auctor est, reliquisque huius sententiae patronis videtur. Versabatur vero haec ars in humanorum cadauerum, ceterarumque sacrarum bestiarum conditura, hereditatisque iure quasi a patre ad filium dimanabat, vt DIODORVS SICVLVS [g]) perhibet. Qui mos, si quis alius, incre-

f) Introduct. c. I. p. 360. T. II. ed. *Chart.*

g) Biblioth. I. p. 82. ed. *Steph.* vbi expresse pollinctores dicuntur μιστητοί.

incredibiliter artium diſciplinarumque incrementis obſtat, adeoque haec pollincturae via non potuit non rudis atque manca eſſe. Accedit, quod ii, quorum curae hoc muneris demandatum erat, odio digniſſimi [h]) videbantur, quia *σώματι ὁμοφίλῳ* vim inferrent debitis hiſce lacerationibus, immo vero ad *παραδείγματα* quaedam omnia peragebant, a quibus recedere nefas ducebatur. Nulla autem honoris praemiiue ſpecie propoſita, qua ratione iſta pollincturae pomoeria proferri potuerint, plane non video.

Quae vero res vt ex merito perſpiciatur ab optimo quoque, neque nos praeiudicatae opinioni dediſſe videamur omnia, veritati nihil prorſum, liceat huc iterum verba ſcriptoris hoc de argumento antiquiſſimi HERODOTI [i]) adducere, at non neglecta veterum ſcriptorum fide atque diſſenſu. *Οἱ δὲ ταριχευταὶ*, inquit, *ὑπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, ὧδε τὰ σπȣδαιότατα ταριχεύȣσι. πρῶτα μὲν σκολιῷ σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγȣσι τὴν ἐγκέφαλον, τὰ μὲν αὐτȣ̃ ȣ̓́τω ἐξάγοντες, τὰ δὲ φάρμακα ἐγχέοντες. μετὰ δὲ λίθῳ αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην, ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίην πᾶσαν. ἐκκαθήραντες δὲ αὐτὴν καὶ διηθήσαντες οἴνῳ φοινικηΐῳ, αὖθις διηθέȣσι θυμιήμασι περιτετριμμένοισι. ἔπειτα τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηράτȣ τετριμμένης, καὶ κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων πλὴν λιβανωτȣ̃,*

h) L. cit.

i) Hiſt. II. 86. p. 120. ed. *Gal.*

τȣ̃, πλήσαντες συῤῥάπτȣσι ὀπίσω. ταῦτα δὲ ποιήσαντες ταριχέυȣσι νίτρῳ, κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκοντα. πλεῦνας δὲ τȣτέων ȣ̓κ ἔξεστι ταριχέυειν. ἐπεὰν δὲ παρέλθωσι αἱ ἑβδομήκοντα, λȣ́σαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσȣσι πᾶν ἀυτȣ̃ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι, ὑποχρίοντες τῷ κόμμι, τῷ δὴ ἀντὶ κόλλης τὰ πολλὰ χρέωνται Ἀιγύπτιοι. ἐνθεῦθεν δὲ παραδεξάμενοι μὲν οἱ προσήκοντες, ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποδέα. ποιησάμενοι δὲ ἐσεργνῦσι τὸν νεκρὸν, καὶ κατακληΐσαντες ȣ̈τω θησαυρίζȣσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ ἱςάντες ὀρθὸν, πρὸς τοῖχον. ȣ̈τω μὲν τȣ̀ς τὰ πολυτελέςατα σκευάζȣσι νεκρȣ́ς. Τȣ̀ς δὲ τὰ μέσα βȣλευμένȣς τὴν δὲ πολυτεληΐην ἐκφέυγοντας, σκευάζȣσι ὧδε. ἐπεὰν κλυςῆρας πλήσωνται τȣ̃ ἀπὸ τȣ̃ κέδρȣ ἀλέιφατος γινομένȣ, ἐν ὧν ἔπλησαν τȣ̃ νεκρȣ̃ τὴν κοιλίην, ȣ̈τε ἀναταμόντες ἀυτὸν, ȣ̈τε ἐξελόντες τὴν νηδὺν. κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐσηθήσαντες καὶ ἐπιλαβόντες τὸ κλύσμα τῆς ὀπίσω ὁδȣ̃, ταριχεύȣσι τὰς προκειμένας ἡμέρας· τῇ δὲ τελευταίῃ ἐξιεῖσι ἐκ τῆς κοιλίης τὴν κερδίην, τὴν ἐσῆκαν πρότερον. ἡ δὲ ἔχει τοσάυτην δύναμιν, ὥςε ἅμα ἑωυτῇ τῆν νηδὺν καὶ τὰ σπλάγχνα κατατετηκότα ἐξάγει. τὰς δὲ σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει. καὶ δὴ λέιπεται τȣ̃ νεκρȣ̃ τὸ δέρμα μȣ̃νον, καὶ τὰ ὀςέα. ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, ἀπ' ὧν ἔδωκαν ȣ̈τω τὸν νεκρὸν, ȣ̓δὲν ἔτι πρηγματευθέντες. Ἡ δὲ τρίτη ταρίχευσις ἔςι ἥδε, ἣ τȣ̀ς χρήμασι ἀσθενεςέρȣς σκευ-

ἄζει συρμαίῃ διηθήσαντες τὴν κοιλίην, ταριχεύουσι ἑβδομήκοντα ἡμέρας, καὶ ἔπειτα ἀπ' ὧν ἔδωκαν ἀποφέρεσθαι. At hi relicti in aedibus hunc in modum diligentiſſime condiunt corpus. Ante omnia incuruo ferro cerebrum per nares educunt, vt quamque partem educentes, ita locum eius medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide aethiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem aluum protrahunt. Quam vbi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt; tum aluum complentes contuſa myrrha pura et caſia, et aliis (excepto thure) odoribus, iterum conſuunt. Vbi haec fecere, ſaliunt nitro abditum ſeptuaginta dies: nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus, cadauer vbi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis loris inuoluunt, gummi illinentes, quo Aegyptii glutinis loco plerumque vtuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita reponunt. Eos autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumtum, ita apparant. Clyſterem vnguine, quod e cedro gignitur, complent; deinde ex hoc aluum mortui ipſam, neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo viae poſterioris hiatu, inferciunt, et tot, quot dixi, diebus ſale condiunt. Quorum dierum vltimo cedrinum vnguen, quod prius ingeſſerant, ex aluo egerunt, quod tantam habet vim, vt vna ſecum aluum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis et oſſa relinquuntur. Vbi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura haec eſt, qua adorantur eorum mortui, qui tenuio-

tenuiore ſunt fortuna. Ablutionibus ventrem abſtergunt, arefaciuntque ſale ſeptuaginta per dies, deinde tradunt reportandum.

Ex hoc loco, quem multis adduximus, ſatis patet, corpora, quae eam ſubierant pollincturam, diutius permanſiſſe corruptionis foedae expertia, vt bene apud PLATONEM [k]) SOCRATES expreſſit. Sed quicquid ſit, id genus corpora non, niſi ruditer condita nihil ad approbandam anatomes Aegyptiae veritatem valent. Omnis enim pollinctura facta eſt maxima cum oſcitantia et ſine vllis artis legibus, perſpexitque eius futilitatem, ni fallor, ſuo iam tempore GABR. CLAVDERVS [l]) ſic, vt omnes has pollincturae vias prorſum reiiceret. Neque, quantum equidem video, iniuria. Triplex enim haec cadauerum condiendorum ratio, ſiue ſpectes ſumptuoſiſſimam, quae, teſte DIODORO SICVLO [m]), talenti pretio redimebatur, ſiue mediocrem, qua, cum viginti minis conſtaret, ne aluum quidem incidere licuit; ſiue denique parabilem illam, quae ſine vllo impenſarum diſpendio in pauperiorum hominum cadaueribus fiebat, tam parui profecto momenti eſt tamque contemnendae auctoritatis, nihil vt magis eſſe poſſit.

Quam

k) In *Phaedon.* p. 80. T. I. ed. *Steph.* cf. *Gell.* Noct. Attic. X. 10 p. 137. ed. *Ald.* et *Seruius* ad *Virg.* Aeneid. III. *Aegyptii periti*, inquit, *condita diutius reſeruant corpora, ſcilicet vt anima multo tempore perduret et corpori ſit obnoxia, ne cito ad aliud tranſeat.*

l) Method. Balſam. Corp. Hum. c. 4. p. 55. ſequ. ed. Altenb.

m) Bibl. I. p. 82. ed. *Steph.*

Quam manca enim et ſubitanea iſthaec omnia! Quam cito cuncta ex lege maiorumque inſtituto peragenda ab iis erant, quorum curae hoc muneris demandatum fuit, ne lapidibus obruti in vitae incurrerent periculum! Quaenam hinc partium interiorum cognitio ac contemplatio expectanda, et quidnam exinde commodorum in medicinam ipſam redundauit? Nihil profecto, ſi quid video, adeoque male SALMASIVS [n]) aliique defenſores rei ſuae conſulunt, qui hinc Aegyptiorum anatomen repetunt, atque plenis buccis extollendam putant. Dilacerare enim corpora, idque raptim, hoc lanionis eſt, non anatomici, cui id propoſitum eſſe debet, vt corporis penetralia interioresque receſſus magna cum diligentia indagare iuſteque perſpicere ſciat. Immo vero (crede mihi) lanii noſtri, ſi hac viſceratione continetur anatome, hos Aegyptiorum pollinctores quam longiſſime antecellunt, quippe illis internarum partium ſitum ac figuram, velint, nolint, ſine omni vitae periculo rimari ſcrutarique ſemper licuit, his vero non item. Praeſtat enim ſaluo et incolumi eſſe capite, quam temere interiora corporis mortui noſſe, cuius ſcientia ad bene ſalubriterque viuendum non adeo magni vſus eſt, neque tanti poenitere homines emunt.

Adeſte igitur, o vos anatomes Aegyptiae patroni! Fauete linguis. Actum eſt de illo inuento ilicet. En nobiliſſimum artis huius peruetuſtae monimentum, quod in quouis lanione vel inde ab

n) Interpret. *Hipp.* Aph. Sect. IV. de Calculo p. 52.

ab orbe condito, niſi melius et ad rem iſtam accommodatius, ſimili ſaltem modo ſimilique nitore facile reperias! O felices nos beatosque medicos, quibus auctoritatis, famae, et antiquitatis, ſi Dis placet, captandae gratia dudum licuit quemuis hominem gregarium cultroque armatum in collegium adoptare! Saluete igitur, o vos, noua anatomicorum proles! laetiusque indies ſuccreſcite. Abierunt illi veſtri maiores ad orcum, vbi

tenebris nigreſcunt omnia circum.

Vos iam, o cara capitula! in eorum locum ſuccedite.

Sed ohe, iam ſatis eſt, ne quid detrimenti respublica anatomicorum capiat, aut ſermo noſter in quosdam crabrones incidat, quos, ita me deus amet! laceſcere vnquam nec licet, nec lubet. Eſt enim, vt de poetis dicitur, anatomicorum genus irritabile. Hinc eos nolo equidem, illud vero dabunt (ſpero) ſtrenui iſti propugnatores, vt, cum omnis pollincturae ratio apud veteres Aegyptios lacera ſit ac imperfecta, neque certa quaedam anatomes illorum proſtent veſtigia, eam mihi ridere, ſpernere, negare liceat, donec meliora edoctus fuero. In quo conſentientes me prae ceteris habere IO. HENR. SCHVLZIVM o) et FRID. BOERNERVM p) impenſe gaudeo.

At

o) Hiſt. Medicin. Ger. I. Sect. I. c. 3. §. 12. ſeq. p. 26. ſ. et omnium optime in Hiſt. Anatom. Spec. I. §. 6. ſequ.

p) Diſſ. Antiquit. Med. Aegypt. §. 60. p. 72.

At vero, inquiunt, PLINIVS [q]) auctor est, *in Aegypto reges corpora mortuorum ad scrutandos morbos insecuisse.* Quis illud negauit? Temporis vt in quacunque re, ita in hoc de Aegyptiorum anatome dissensu cum maxime habenda est ratio, sine qua omnem operam male collocare putandus est, quisquis iudicis cuiusdam Gottingensis more haec non rite a se inuicem secernat. Illud enim anatomes Aegyptiae exemplum ad PTOLEMAEOS pertinet, qui, incredibile, quantum litterarum studiis, et cum primis anatomicae artis incrementis prospexerunt, hincque eis, vt cum CELSO [r]) loquar, videbatur *necessarium esse incidere corpora mortuorum, eorumque viscera atque intestina scrutari. Longeque optime fecisse Herophilum et Erasistratum, qui nocentes homines a regibus ex carcere acceptos viuos inciderint considerarintque, etiam spiritu remanente, ea, quae natura ante clausisset, eorumque posituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, laeuorem, contractum; processus deinde singulorum et recessus, siue quid inseritur alteri, siue quid partem alterius in se recipit.* Haec demum, amici, anatome est, quam nec ego nego, et ad recentiora tempora spectat, vbi reges ab omni superstitionis vanitate quam maxime alieni erant, ac scholae Alexandrinae commodis quocunque modo prospiciebant; medici autem, modo Alexandriae litteris operam nauassent, magni et clari habebantur. *Medicinae ita studia augentur*

q) Hist. Nat. XIX. 5.
r) L. De Medicin. I. Praefat. p. 7. ed. *Kraus.*

tur indies, inquit, AMMIANVS MARCELLINVS [s]) ſuo adhuc tempore, *vt*, *licet opus ipſum redoleat*, *pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem*, *ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.* At vero Aegyptiorum pollinctura, ſi in huius rei fidem proferatur, lubrica eſt et omnium longe inconſtantiſſima. Conſtat enim inter omnes, quam lacera illa, rudis ac imperfecta fuerit, adeoque, niſi totus fallor, priſcis illis temporibus, quae et ante PTOLEMAEOS fuerunt, et proxime in HIPPOCRATIS magni aetatem inciderunt, viſcera mortuorum ſcrutari atque inueſtigare nullo modo licuit.

Abeant igitur et res ſuas agant feliciter, quibuscunque id genus nugae futilesque ineptiae perplacent. Vmbrae enim rerum vanae inhiant, veritas nuſquam eſt, meminerintque velim, quae de NARCISSO NASO [t]) prodidit memoriae:

Credule, quid fruſtra ſimulacra fugacia captas?
Quod petis, eſt nuſquam; quod amas auertere, perdes.

At mehercle, longe maxima ſit oportet, erroris vis atque ſuauitas, incredibilisque doctrinae auitae dulcedo, vt caecutire malimus, quam a ſueto vitae propoſito et nobiscum conſeneſcente ſentiendi ratione temere recedere. Citius enim ex ſilice aquam extorqueas, atque ex auari ciſtula numos, quam veterano cuidam homini perſuadeas, nugas ſe adhuc captaſſe ac verba, quibus nulla ſubiecta fuit

s) Hiſtor. L. XXII. 16. p. 274. ed. *Erneſt.*
t) Metamorph. III. 432. ſequ.

ſuit notio, a re ipſa vero afuiſſe ſe quam longiſſime; Immo vero iisdem ad *Didonis* ſimilitudinem apud VIRGILIVM [u]) compoſitis

Nec magis incepto vultus ſermone mouetur,
Quam ſi dura ſilex aut ſtet marpeſia cautes,

ſuntque illi haud raro, vt perbelle HORATIVS [v]), eam ob rem tam tenaces propoſiti,

Quia turpe putant parere minoribus, et quae
Imberbi dicere, ſenes perdenda fateri.

Hinc tot calamitoſae de tribus capellis decertationes; hinc iuniorum contemtio; hinc praeceptorum, quos coluimus, ſuſpeximus, venerati ſumus, ἰσοθεότης; hinc ancipitia in hos εἰδωλομάχους tela; hinc furor et rabies canina in quoscunque aliter ſentientes, vel auctoritati magni cuiusdam viri imprudenter ogganientes; hinc denique inter doctos homines rara auis eſt, ſi quis ad veritatis lucem non amplius oculis conniueat, aut ancipiti haerens animo cum *Medea* apud OVIDIVM [w]) confiteatur:

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Quod ſi non eſt ſeruiliter ſe in ſentiendo et imitando gerere, quid tandem ſit, iuxta cum ignariſſimis ignoro. Perplacet hinc IVLII CAES. SCA-

u) Aeneid. VI. 471. ſeq.
v) L. II. Ep. I. 84. ſequ.
w) Metam. VII. 20.

SCALIGERI [x]) verba adducere, quibus, dici vix poteſt, quantus veri ſplendor quantaque vis inſit. *Equidem*, inquit, *ſaepenumero miratus ſum mortalium vel audaciam, vel pertinaciam, qui tuentur errores, quos, qui commiſerunt, ſi viuerent, emendarent. Neque enim erraſſe ſemper turpe eſt. Eſt enim initium ſapientiae, ſi non ei ipſi, qui fallitur, at aliis non fallendi. Verum errores fouere, id vero vel extremae eſt dementiae. — Errata maiorum diſſimulanda non ſunt, ne et ipſi poſteritati imponamus.*

Subruta igitur, ni fallor, veterum Aegyptiorum eſt anatome ex ipſis aduerſariorum argumentis, quibus tanquam fulcris, innitebantur. Conſtat enim inter omnes, modo haec ſine partium ſtudio ſecum reputent animo, aut nullam ſane eam eſſe, aut vix ac ne vix quidem nobili hoc nomine dignam, et nihilo tamen ſecius alii, tanquam pro aris et focis contenderent, nouum pro defendenda huius artis antiquitate ac auctoritate àrgumentum, vt iſtis videtur, certiſſimum optimumque in *praeputii circumſectione* quaerunt, quam ſcimus olim apud Aegyptios vſu eueniſſe.

Eſt quidem (fateor) aliquid, neque nego, hanc circumcidendi praeputii conſuetudinem apud Aegyptios prae ceteris locum habuiſſe, quos, auctore HERODOTO [y]), conſtat vna cum Colchis et Aethiopibus fuiſſe ſolos hoc inſtituto vſos, Phoenicios vero atque Syros, qui Palaeſtinam incoluerant, id imitando expreſſiſſe. At vero pri-

x) De Cauſſ. Lingu. Lat. III. 67. p. 143. ed. quart.
y) Hiſt. II. 104. p. 127. ed. *Gale.*

primum ipſe HERODOTVS ambigit, vnde demum Aegyptii hunc ritum repetierint, eumque ab Aethiopibus profectum eſſe putat, quia circumciſurae apud Phoenicios, qui cum Graecis negotiantur, vſus nullus ſit. Deinde etſi Aegyptii, vt STRABO [z]) perhibet, περιτέμνοντες τὰ παιδία καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνοντες dicuntur, tantum tamen abeſt, vt illa caerimonia ſacra haberetur, vt etiam ſecundum HERODOTVM [a]) ſacerdotes ipſi partim mutilarent corpus, idque ſponte ſua, partim omnino negligerent. Factum videtur id negotii a ſacerdotibus cum maxime ob munditiei ſtudium, de quibus CHAEREMON Stoicus apud S. HIERONYMVM [b]) auctor eſt, *quod omnibus mundi negotiis curisque poſtpoſitis, ſemper in templo fuerint, et rerum naturas cauſſasque, ac rationes ſiderum contemplati ſint; nunquam mulieribus ſe miſcuerint, nunquam cognatos et propinquos, ne liberos quidem, viderint ex eo tempore, quo coepiſſent diuino cultui deſerui-*

z) Geogr. XVII. p. 824. ed. *Xyl.* Fallitur hinc vehementer *Io. Henr. Schulzius*, Hiſt. Med. Per. I. Sect. I. c. 3. §. 37. p. 36. cum de hoc circumſectionis apud Aegyptios vſu anceps haereret; id enim ex h. l. ſatis ſuperque patet; at vero nunquam, vt credere fas eſt, hic mos vim legis obtinuit. Alias enim ab hac caerimonia nec ſacerdotes immunes fuiſſent.

a) Hiſt. II. 36. p. 103.

b) Adv. *Iouian.* L. II. p. 367. ſequ. T. II. ed. *Frob.* cf. *Herod.* II. p. 53. qua patet, licuiſſe eis etiam vti carnibus, adhibita tamen lege quadam, fabis et piſcibus autem illos prorſum interdictos fuiſſe. Similiter et apud *Diodor. Sic.* I. p. 64. et *Plutarch.* L. De *Iſid.* et *Oſirid.* p. 353. T. II. ed. *Xyl.* ſecundum *Hecataeum* victus regum ipſe ordinatur.

ſeruire; carnibus et vino ſe ſemper abſtinuerint propter tenuitatem ſenſus et vertiginem capitis, quam ex paruo cibo patiebantur, et maxime propter appetitus libidinis, qui ex his cibis et ex hac potione naſcuntur. Pane raro veſcebantur, ne onerarent ſtomachum, et ſi quando comedebant, tuſum pariter hyſſopum ſumebant in cibo, vt eſcam grauiorem illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus nouerant, verum et ipſum parum propter nauſeam et aſperitatem guſtus leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cum ouum quoque pro carnibus vitauerint et lac: quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum, quas baias vocant, contextum erat. Scabellum accliue et ex vna parte obliquum, in terra pro puluillo capiti ſupponebant, bidui triduique inediam ſuſtinentes. Humores corporis, qui naſcuntur ex otio et ex manſione vnius loci, nimia victus caſtigatione ſiccabant.

Ex his facile colligitur, Aegyptios omnes, cum eſſent munditiei longe ſtudioſiſſimi, videri etiam praeputii curam habuiſſe, ſacerdotes vero, vt a re venerea ciborumque vbertate maxime alienos, ita etiam parabili eſca viuere ſuetos, hunc penis temerandi morem non temere ſecutos eſſe.

Quae res cum olim cuiuſque arbitrio relinqueretur apud Aegyptios, neque ſemper in ſacerdotes caderet, ſequitur perperam hodie facere, qui futili hoc atque lubrico argumento, tanquam firmamento ſtabilitatis, innituntur. Male enim profecto cum omni re medica, in primisque anatome, factum eſſet, ſi quemcunque cultri miniſterio

praeputium mutilantem velis habere anatomicum. Nullus profecto, nisi totus fallor, nobili hoc nomine dignus est, nisi qui hanc corporis compagem eiusque structuram bene calleat; calluit autem Aegyptiorum nullus, si eorum doctrinam reputes *de neruo quodam tenuissimo, qui a manus sinistrae digito medicinali ad cor hominis pergere* credebatur, vt APPION apud A. GELLIVM [c]), MACROBIVS [d]), HERM. CONRINGIVS [e]), OLAVS BORRICHIVS [f]), et IO. HENR. SCHVLTZIVS [g]), memoriae prodiderunt. Similiter absurda videtur naturaeque rei repugnans illa opinio, qua, auctoribus PLINIO [h]) et CENSORINO [i]), *cor per quinquaginta annos incrementa capere et tunc demum iterum decrescere* putabatur, cet. Si quis enim vel leuiter tinctus est anatomes cognitione, ridebit profecto id genus nugas meliora edoctus, et eos omnino omnes, qui ab tam rudibus homunculis scientiae tantae tamque praeclarae tyrocinia et antiquitates ausi sunt repetere. Sed haec hactenus. Constare enim inter omnes censeo, anatomen Aegyptiorum tot tantisque magnorum virorum encomiis ornatam nullam esse, nec tanto promissorum hiatu dignam, id quod iam multis ante nos

c) Noct. Attic. X. 10. p. 137. ed. *Ald.*
d) Saturn. VII. 13. p. 550. ed. Lugd.
e) Hermet. Medic. c. 10. p. 90. sequ.
f) Vindic. Hermet. Med. in Praefat. vbi male ista *Conringii* accusatio refellitur.
g) Hist. Med. Per. I. Sect. I. c. 3. §. 18. p. 28.
h) Hist. Nat. XI. 37.
i) De Die Natal. c. 17. p. 116. ed. *Lindenbr.*

nos demonſtrarunt HERM. CONRINGIVS [k]), HARTMANNVS [kk]), IO. HENR. SCHVLTZIVS [l]), FRID. BOERNERVS [ll]), alii.

Reliquum eſt, vt de priſco huius gentis ritu, *ſimulacra mortuorum inter conuiuandum inferendi* paucis ediſſeramus, praeſertim poſtquam nuper quidam philologus Gottingenſis, quem SCHNEIDERVM, ſtudioſum et Seminarii philologici ſodalem, eſſe audio, nos hac de re et inſcientiae, et mendacii publice inſimulauit. In quo quam durum, iniquum falſumque ſe ille praeſtiterit, optime norunt ii, qui a partium ſtudio ſunt alieniſſimi. Aut enim verba mea haud ſatis intellexit, aut intelligere noluit, cum contra omnem auctorum veterum fidem, quos in mea librorum Hippocrateorum cenſura [m]) adduxeram, vniuerſe negaret, adhibita vnquam fuiſſe mortuorum ſimulacra in conuiuiis, quod tantum particulatim verum eſt.

Inſedit enim plurimorum animis peruerſa iſta opinio, vt Aegyptii vera ſemper mortuorum cadauera, non ſimulacra, conuiuis repraeſentaſſe dicantur, idque gemmarum auctoritate vnice freti. Habent quidem haec (fateor) multam veritatis ſpeciem, neque tam proteruae mentis ego ſum, vt haec omnia temere negare auſim. At vero

 cum

k) Hermet. Medicin. c. 10. p. 92.
kk) De Origin. Anat. Diſſ. I. c. 6. p. 35.
l) Hiſt. Medicin. l. c. p. 27. ſequ.
ll) De Medic. Aegypt. Diſſ. §. 60. p. 82.
m) Sect. III. §. 57. p. 185.

cum maximam partem recentiores illae gemmae ſunt, debenturque ſcholae Alexandrinae, de quo nullus dubito, tum vero ipſis veterum ſcriptorum, monimentis longe poſtponenda videntur.

Primus omnium, quantum equidem me legere memini, viuis hunc ritum coloribus deſcribendum curauit HERODOTVS n), qui quo antiquior eſt et in his myſteriis inſtructior, eo maiorem fidem promeretur, quippe ex eo omnes omnino, qui multis ſeculis poſt iſta commemorarunt, prae ceteris profeciſſe, cenſendi ſunt. Ἐν δὲ τῇσι συνουσίῃσι, inquit, τοῖσι εὐδαίμοσι αὐτέων, ἐπὰν ἀποδειπνήσωνται, περιφέρει ἀνὴρ νεκρὸν ἐν σορῷ ξύλινον πεποιημένον μεμιμημένον ἐς τὰ μάλιστα καὶ γραφῇ καὶ ἔργῳ. μέγεθος ὅσον τε πάντῃ πηχυαῖον, ἢ διπήχυν. δεικνὺς δὲ ἑκάστῳ τῶν συμποτέων, λέγει· Ἐς τοῦτον ὁρέων πίνε τε καὶ τέρπευ. ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος. ταῦτα μὲν παρὰ τὰ συμπόσια ποιεῦσι. *Apud locupletes eorum, cum multi conuenerunt, et a coena diſceſſum eſt, circumfert aliquis in loculo mortuum e ligno factum, ſed pictura et opere verum maxime imitantem longitudine cubitali omnino aut bicubitali, oſtendensque ſingulis conuiuarum ait: In hunc intuens pota et oblectare, talis poſt mortem futurus. Haec illi apud conuiuium faciunt.* Quibus Herodoteis verbis quid dilucidius magisque expreſſum ſententia noſtra ſit, niſi velis ſtudio deditaque opera in tanto veritatis ſplendore conniuere oculis, plane non video.

Dic

n) Hiſt. II. 88. p. 118. ed. *Gale.*

Dic igitur, quaeso, o lepidissimum capitulum! qui me medicum scilicet nuper [nn]) graecas litteras prorsum ignorare, nec legere posse tanta cum impudentia professus eras, quanta est maxima; qui HERODOTVM, tanquam locupletissimum accusationis tuae testem, adduxeras, dic, quaeso, si potes, vtrum illa verba: Νεκρὸν ἐν σορῷ ξυλινὸν πεποιημένον μεμιμημένον ἐς τα-μάλιστα καὶ γραφῇ καὶ ἔργῳ (*in loculo mortuum e ligno factum, sed pictura et opere verum maxime imitantem*) vere exprimant larualem corporis habitum ossibus cohaerentem, an potius, vt nos explicueramus in tanta sane linguae graecae inscientia, *simulacrum quoddam hominis mortui ligneum accurateque expressum*, idque in mortis memoriam illatum, ne voluptatibus indulgerent impensius, aut ineluctabilis fati curam prorsum abiicerent.

Sunt sane instituta haec veterum Aegyptiorum praeclara omnique laude dignissima, cum ditissimo aeque ac infimo cuique liceret hoc more patrio sine vllo magnorum sumtuum vti dispendio. At vero eum a priscis inde temporibus sic repetere, vt ipsa propinquorum corpora conuiuis repraesentarentur ad detergenda palati blandimenta, id nec per gentis huius superstitionem fieri licuit, neque ab HERODOTO vnquam commemoratum est, neque denique ad quemquam pertinuisset, nisi cui magna numorum vis suppeteret. Consentit mirifice cum hac nostra sententia PLV-

nn) Philolog. Biblioth. VIII. Stück, Band I. p. 436.

TARCHVS o), qui et alibi illud *εἴδωλον ἀνθρώπȣ τεθνηκότος ἐν κιβολίῳ περιφερομένȣ* dixerat. Sic enim haec verba probe intelligi ab tyrone quocunque poterunt riteque explicari, quicquid contra dicant nasutuli quidam iudices.

At vero, inquiunt alii, quorum in numero iterum inuidiosus ille laruatusque Gottingensis iudex eminet, DIODORVS SICVLVS oo) auctor est, Aegyptiorum permultos suorum cognatorum corpora quam sumptuosissime myrrha et cedrino condita oleo secum domi habuisse, atque ex istorum forma, incredibile, quantum delectationis cepisse. Praeclare, o amici ac iudices, nisi DIODORVS aetate longe recentior esset HERODOTO. Si enim temporis et in affirmando et negando habenda ratio videtur, cuius impetu multa maiorum instituta aut abolentur penitus, et antiquantur, aut etiam, excusso superstitionis iugo, communia fiunt, quae olim paucorum fuerant, conficitur, argumento nostro exinde fidei nihil derogari detrahiue posse, quicquid alii temere et indicta caussa ogganniant. Vtrumque verissimum est, si aetatem et locum spectes: id vero nobis videtur falsissimum, in epulis olim non, nisi vera mortuorum hominum cadauera fuisse exposita. Repugnat enim HERODOTVS, vt supra vidimus, et praeterea DIODORVS ipse hunc ritum *multorum* esse perhibet. Quicquid vero *multorum* est, non potest communis

o) L. Conuiu. Sept. Sapient. p. 148. T. II. ed. *Xyl.*
oo) Bibl. I. p. 82. ed. *Rhod.*

munis exempli loco atque generatim adferri, vt philologus ille Gottingenfis fecit, nihilque exinde ponderis in confutanda noftra fententia acquiritur. Qua de re factum fuiffe exiftimo, vt LVCIANVS p) more fuo i. e. lepide reique appofite hanc Aegyptiorum confuetudinem, qua mortuum σύνδειπνον et συμπότην faciebant, traduceret quafi atque rideret egregie. Neque ab hac opinione abhorruiffe cenfendi funt POMPONIVS MELA pp) atque SILIVS ITALICVS q), fic enim ille:

Aegyptia tellus
Claudit odorato poft funus ftantia faxo
Corpora, et a menfis exfanguem haud feparat umbram.

Ex his vero, modo non omnis hebes et plumbeus fum, id folum colligitur, obtinuiffe olim hunc ritum apud quosdam Aegyptios, eumque peregrinis hominibus, quorum non erat haec curatius anquirere, vifum fuiffe communem omnibusque familiarem.

Accedit et illud, quod mirifice a fe ipfi diffentiunt, qui hoc Aegyptiorum inftitutum mortuos fecum domi habendi conuiuiisque inferendi litteris confignatum reliquerunt. PLVTARCHVS r) enim fic: Οἱ Ἀιγύπτιοι τὸν νεκρὸν ἀνατέ-

 μνον-

p) L. De Luctu, p. 812. ed. *Bourdel.*
pp) De Situ Orbis I. 9. p. 17.
q) De Bello Punico Secund. L. XIII. 474. feq.
r) Conviv. Sept. Sapient. p. 159. T. II. ed. *Xyl.*

μνοντες ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ, εἶτ' αὐτὰ μὲν εἰς τὸν ποταμὸν κατέβαλον, τȣ̃ δὲ ἄλλȣ σώματος ἤδη καθαρȣ̃ γεγονότος ἐπιμέλονται. *Aegyptii, mortuum, diſſecto ventre, ſoli oſtendunt; deinde, inteſtinis in profluentem abiectis, reliquum cadauer, vt iam purgatum, procurant.* At vero SEXTVS EMPIRICVS [s]), poſtquam de aliarum gentium more dixerat. Αἰγύπτιοι δὲ, inquit, τὰ ἔντερα ἐξελόντες ταριχεύειν αὐτȣ̀ς, καὶ σὺν ἑαυτοῖς ὑπὲρ γῆς ἔχȣσι, quocum mirifice conueniunt CHRYSIPPVS atque CICERO [t]). STRABONE [u]) denique teſte, iſti mortuorum corpora, θάπτȣσι ἐν μέλιτε κηρῷ περιπλάσαντες, id quod LVCIANVS [v]) per, ξηράνας τὸν νεκρὸν σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο, expreſſerat, cet.

Qui ſcriptores cum tantopere a ſe inuicem recedant, vt alius aiat, alius neget, colligitur, hoc inſtitutum, vt ſupra iam monuimus, ad paucos tantum pertinuiſſe, atque a peregrinis hominibus pro communi omnibusque familiari eſſe habitum, aliter ac res ipſa poſtulare videbatur. Hinc cauſſa ſua eos cadere oportet, qui vbique cadauera condita volunt, ſimulacra recuſant penitus, adeoque velim meminerint illius apud OVIDIVM [w]):

Media tutiſſimus ibis.

Apud

s) Pyrrhon. Hypot. III. p. 156. ed. *Gen.* 1621.
t) Quaeſt. Tuſcul. I. 45.
u) Geogr. L. XVI. p. 746.
v) L. cit.
w) Metam. II. 137.

Apud varios varius hic mos fuit, prouti aut cuiusque libidini visum est, aut per opes licuit. Alius, cui curtam natura dederat supellectilem, lignea propinquorum simulacra sine dubio domi habuit, iisque delectatus est; alius, cum per opulentiam fieri posset, cadauera ipsa myrrha cedrinoque circumlita, adeoque nec tanto sane feruore opus erat, quo quidam antiquitatum patroni non ita pridem ob voculas excanduerunt. Velitationes enim haud raro verborum sunt, quae si recte attendas veterum scriptorum monimenta, saepenumero sunt longe inconstantissima. *Manes* enim, *genii*, *lemures*, *laruae*, *lares*, quot nomina! Qualis auctorum in adhibendo et explicando dissensio! Aliis *manes* mortuorum animi esse videntur, et hinc, si quis eorum sepulcra violasset, deos manes violasse credebatur: Aliis *genii* viuentium esse, *lemures* vero, si a corporis vinculis liberati sunt. Qui si simul incursionibus diurnis nocturnisque domos exagitarant, *laruae;* Sin vero mansueti ac sine turbis essent, *lares familiares* appellabantur. At vero cum haec legeram, venit illud in mentem TERENTIANVM x):

Fecistis probe:

Incertior sum multo, quam dudum.

Videntur enim his verbis saepenumero promiscue vsi fuisse veteres, modo velis CENSORINVM xx) et

x) Phorm. Act. II. Sc. 4. 18. seq.

xx) De Die Natal. c. 3. p. 16. ed. *Lindenbr.* cf. in not. variae auctorum de genio sententiae.

et APVLEIVM y), euoluere ac quaedam illorum loca inter ſe conferre. *Apuleius* enim, cui, cum in hoc argumento ex inſtituto verſaretur, fides habenda eſt, ſic eam nominum diuiſionem explicuit. *Eſt et ſecundo ſignatu ſpecies daemonum, animus humanus exutus et liber, ſtipendiis vitae corpore ſuo abiuratis. Hunc vetere latina lingua reperio Lemurem dictitatum. Ex hiſce ergo lemuribus, qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, pacato et quieto numine domum poſſidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero propter aduerſa vitae merita, nullis bonis ſedibus incerta vagatione, ceu quodam exilio, punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis; hunc plerique Laruam perhibent. Cum vero incertum eſt, quae cuique ſortitio euenerit, vtrum lar ſit, an larua, nomine Manium deûm nuncupant, et honoris gratia Dei vocabulum additum eſt.* De *geniis* vero ita CENSORINVS: *Genius eſt deus*, inquit, *cuius in tutela, vt quiſque natus eſt, viuit. — Eundem eſſe genium et larem, multi veteres memoriae prodiderunt.* — Neque abſimiliter SENECA yy): *Nemo tam puer eſt*, inquit, *vt cerberum timeat, et tenebras, et larualem habitum nudis oſſibus cohaerentem.* SERVIVS denique ad VIRGILIVM z): *Apud maiores omnes in ſuis domibus ſepeliebantur. Vnde ortum eſt, vt lares colerentur in domibus, vnde et vmbras laruas vocamus.*

Qua

y) De Deo *Socratis* p. 110. ed. Baſil. cf. [*Leſſing* Wie die Alten den Tod gebildet p. 68.

yy) Ep. XXIV. p. 80. T. II. ed. Lipſ.

z) In Aen. VI. 152.

Qua ex inconſtantia veterum factum fuiſſe videtur, vt LESSINGIVS [zz]) σκελέτους omnes in monimentis obuios et haud raro figuram eam, quam SENECA expreſſerat, imitantes iure ſuo reique appoſite pro laruis haberet, audacterque negaret [a]), eos vnquam id genus habitus oſſeos adhibuiſſe ad mortis imaginem exprimendam. In quo, vt rerum humanarum eſt conditio, alii aliter ſenſerant, eorumque principes et Coryphaei ſine dubio fuere KLOTZIVS, ZEIBICHIVS, GOEBELIVS, alii. Habet quisque, cui innitatur, quippe multiplici forma ſculptores vſi fuiſſe videntur, prouti phantaſia cuiusque ferret, et modo integram mortui imaginem repraeſentandam curarunt, modo etiam quasdam prae ceteris partes, qualis ſine dubio illa muſei Brauniani gemma fuit, cuius CHRISTOPH. GOTTL. de MVRR [aa]) nuper meminit.

Caueant igitur, ſi qui his in rebus obſcuris verſantur, ne aut nimis feſtinanter, quaecunque voluerint, hiſce in monimentis videant, nulla prorſum habita temporum argumentique ipſius ratione, aut in quauis larua mortis imaginem ſibi repe-

zz) L. cit. p. 67. ſequ.

a) L. cit. p. 3. et 5. nec non p. 51, 55, aliisque locis id ſatis ſuperque demonſtrauit. Hinc ſatis mirari non poſſum philologi Gottingenſis imprudentiam, qui hic iterum (L. cit. p. 437.) at eius eſt mos fallendique animus, *Leſſingium*, tanquam idoneum teſtem, ſubſcriptorem et adprobatorem, adduxit, cuius ſane verba ei, prorſum repugnant.

aa) Denckmaal zu Klotz. Ehre p. 88.

reperisse, saltem diuinasse, putent. Id quod vt multis aliis, ita etiam cum maxime KLOTZIO accidisse dicitur, qui ex VIRGILII b) similitudine

Victus abit longeque ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris.

Infelicius saltem versati in gemmis lapidibusque haud raro sunt isti rerum antiquarum amatores, et plus, quam artifex praestiterat, sibi videre visi sunt, vt in SENECA *moriente*, *Venere Victrice*, *Diana Lucifera*, innummerisque figuris aliis vsu euenit.

Haec vero mortuorum simulacra, vt iterum redeamus, vnde deflexerat oratio, effecerunt sine dubio, vt illa in vsus adhiberentur successu temporis ludicros, multique eiusmodi *laruarum gesticulationibus* alios voluptate afficerent. Ea enim est mentis humanae indoles, vt lubenter imitando optima quaeuis aeque ac praua effingere allaboremus, adeoque nec mirum, si multi sibi his lignearum metallicarumue laruarum gesticulationibus panem lucrarentur. Hinc LVCIANVS c) non veritus est *ἄνδρας ξυλίνους* adferre, quos ad eorum, qui BACCHO collocantur, imitationem efformari censuit. Hinc apud HORATIVM d):

Duceris vt neruis alienis mobile lignum.

Hinc

b) Georg. III. 225. sequ.
c) L. De Dea Syr. p. 1096. ed. *Bourd.*
d) Serm. II. 7. 82.

Hinc denique apud PETRONIVM e): *Potantibus ergo et accuratiſſimas nobis lautitias mirantibus laruam argenteam attulit ſeruus ſic aptatam, vt articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem flecterentur. Hanc cum ſuper menſam ſemel iterumque abieciſſet, vt catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adiecit:*

Heu, heu, nos miſeros! Quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet orcus.
Ergo viuamus, dum licet eſſe bene.

Quod ſi vera mortuorum ſimulacra ſunt, vt ſunt, ſatis mirari nequeo, quid eſſet, quod iudex iſte noſter delicatulus atque falſus hoc etiam PETRONII exemplo abuteretur ad fidem ſententiae noſtrae derogandam et fallendos incautos legentium animos. Epulae enim illae *Trimalchionis* et fictae ſunt ſine dubio, et laruae argenteae multo recentiores, quam vt exinde priſcum Aegyptiorum ritum aut explicare, aut approbare poſſis. Non enim quaeritur, quid tandem apud ceteras nationes vſu venerit, ſed quid Aegyptii priſcis illis temporibus quae proxime ab HIPPOCRATE Coo afuerunt, in conuiuiis fecerint. Hinc, quantum equidem ex inſtitutis gentis iſtius omnium

e) Satyric. p. 115. ed. *Mich. Hadr.* videtur hic *larua argentea* eadem eſſe, quae ap. APVLEIVM *forma larualis*, *ſceletum*, diciturque etiam ap. eundem hac de re: *Ligneolis figuris geſtus mouent.* cf. *Leſſingius* V. cl. l. c. p. 72.

omnium longe ſuperſtitioſiſſimae colligo, aut certum ex HERODOTI fide eſt, aut, ſaltem veri ſimillimum, eos non vera mortuorum cadauera, ſed ſimulacra quaedam in mortis memoriam adhibuiſſe. De recentiori vero aetate, quae in ſcholae Alexandrinae gloriam inciderat, nullus dubito.

Sed ohe, iam ſatis eſt, ne nimis a propoſito meo deflexiſſe videar, aut ſutor vltra crepidam. Dauus enim ſum ſcilicet, cui per medicinae ſtudia, vt delicatulo iſti placet iudici, nullo modo licuit his myſteriis rite initiari. Salutaui (fateor) iſta antiquitatum ſacraria, non niſi a limite; id vnum tamen nobis dari concedique cupimus, vt, cum per taedioſam vitae noſtrae rationem gemmas lapidesque inueſtigare prohibeamur, ex ſcriptorum ſaltem veterum pendeamus teſtimoniis, non neglecto aut poſthabito temporum ordine. Alia enim ſine dubio Aegypti facies ante PTOLEMAEOS, alia vero poſt fuit. Dignae ſaltem ſunt veterum res geſtae atque artes memoria noſtra, indagatione, reuerentia, caue vero, ne pro *Iunone* nubem amplectaris teque des turpiter, memineriſque velim ſemper eorum, quae PASSERIVS f) ſimili in re ſimilique diſſenſione dixerat. *Fateor tamen*, inquit, *in maxima nos obſcuritate verſari, cum antiquorum mentem circa res funebres atque animarum ſtatum poſt mortem indagamus. Sunt enim apud ſcriptores veteres ambigua quaedam indicia et fugacia lumina, quae nos in ſuſpicionem adducunt, habuiſſe*

f) Paralip. ad. *Dempſter*. p. 6. et 139.

habuiſſe illos ſecreta quaedam numina, quae mortis poteſtatem haberent animarumque deducendarum, inter quae vnum Mercurium palam agnoſcimus. Putauiſſe praeterea vim animarum expiandarum penes aliquas ſubterraneas poteſtates extitiſſe. Hinc admiſtae ſunt intermediae quaedam ſedes, in quibus piorum animae reliqua humanitatis contagia ventilationibus quibusdam paullatim depellerent et purgarent. —

Aegyptii vt omnium populorum ſunt longe antiquiſſimi, quos litterarum ſtudiis ſcimus dediſſe operam, ita etiam ſua laude ſuisque meritis fraudandi nullo modo videntur, modo videas, ne in re dubia, quantus quantus es, ex ſacerdotum callidiſſimorum commentis vnice pendeas, adeoque facile in errorem incurras. Medicina enim iſta certiſſime fuit ante PTOLEMAEORVM tempora rudis, lacera, imperfecta, *anatome* vero *nulla*, quicquid rugoſa quorundam patronorum frons grauitatis moroſitatisque contrahat. Non enim video, ſi mihi videar meliora edoctus placita, quid me prohibeat, quo minus ab eorum auctoritate deſciſcam atque in veritatis amplexus me coniiciam, cui, dum vita ſuperſtes erit, totum me dare inque eius contubernio placide conſeneſcere haud grauabor. Id vero peruelim ſciant ii, qui aliter hoc de argumento ſentiunt, atque iudicant, me haec omnia, quae adhuc dicta ſunt, effutire temere noluiſſe aut quendam laſciuientis ingenii foetum foras dare, ſed vt ea, quae nuper adduxeram obiter, iam aduerſus philologi Gottingenſis calumnias pluribus defenderem. Hinc cum ad ſcribendum nos accingeremus, certe in *Byblidis*

apud NASONEM [g]) ſimilitudinem ante, quam ſcriberemus, dubii ſaepenumero haeſimus. Sic enim ille:

Incipit et dubitat, ſcribit damnatque tabellas,
Et notat, et delet, mutat culpatque probatque,
Inque vicem ſumtas ponit poſitasque reſumit.

Qua de re cum vel poſt repetitas curas nuſquam tuta huius anatomes Aegyptiae veſtigia deprehenderim, nunquam mihi tantam eius praeſtantiam fuiſſe, quanta eſt maxima, patiar perſuaderi.

Sed iam ſe proripuit, abiit, euolauit noſtra haec de Aegyptiorum viſcerationibus ſcriptiuncula. Videte demum Vos, iudices, quid illi faciendum ſit, modo ne ſitis iſtius OVIDIANI [h]) immemores:

Iudicis officium eſt, vt res, ita tempora rerum
Quaerere.

Veſtra iam tota eſt. Telis veſtris atque ſagittis patet nudato quaſi pectore. Quae ſi transfodienda videatur, agite feliciter.

g) Metam. IX. 522. ſequ.
h) Triſt. I. El. I. 37. ſequ.



II. HIP-

II.

HIPPOCRATES CORPORA HVMANA INSECVERIT, NEC NE?



II.

HIPPOCRATES CORPORA HVMANA INSECVERIT, NEC NE?

Quoties mihi inter monimenta ſcriptorum veterum, quos ſemper ſuſpexi, colui, veneratus ſum, HIPPOCRATIS magni libri in manus veniunt, (veniunt autem ſaepiſſime) toties non poſſum ſatis mirari, quid ſit, quod is et in tanta olim fuerit auctoritate, nulla vt maior eſſe poſſet, et hodienum plurimum apud omnes, qui recte de rebus ſtatuunt, meritorum gloria valeat. Eminent hoc in numero CELSVS [a]), SENECA [b]), SCRIBONIVS LARGVS [c]), GALE-

 NVS

a) L. De Medic. I. 1. Praef. p. 3. et L. VIII. 4. p. 515. ed. *Krauſ.*

b) L. de Breuit. Vit. c. 1. p. 310. T. I. ed. Lipſ. et Ep. 95. p. 409. T. II.

c) In Ep. Dedic. p. 188. Coll. *Steph.* cf. *Meibom.* Comm in Iusj. *Hipp.* p. 11. ſequ.

NVS [d]), MACROBIVS [e]), IVSTVS LIPSIVS, maximeque omnium IO. HEVRNIVS [ee]), VAN HORNE [f]), innumerique recentiorum alii, quos adducere piget, cum fere omnem in laudando modum excedant. Horret profecto mens rigentque capilli, quoties in id genus elogia incido, quae et omnem veri ſplendorem hebetant, et aeternam hiſce auctoribus maculam inurunt, nec, quem amplius in re tam ardua et inueſtigatione omni digniſſima ſequar, vſquam video. Eiusmodi enim ingenii deliramenta, ſine vlla dubitatione amplexari, quae cum ſuperſtitioſae HIPPOCRATIS debentur venerationi, tum ob quendam animi faſtum, ne erraſſe videantur, defendi ſolent vehementer, id nec docti viri eſt, nec veram diuini ſenis auctoritatem decet. At vero temere adſenſum ſuſtinendo tantis clariſſimorum hominum ſuffragiis fidem derogare omnem, et cum alii omnino aiant, impune negare, bone deus! quam indignum illud facinus in veterum merita eſt. Telis certe transfodiendus odioque Vatimiano digniſſimus videtur, quisquis aliter ſentire publiceque profiteri audeat!

Subrideret profecto placide HIPPOCRATES meus, ſi ſuſcitatus ab inferis tot incruentas de diuina eius ſcientia clades, tot pertinaces de anatome

d) L. De Criſib. III. 11. p. 445. ſequ. T. VIII. ed. *Chart.* innumerisque locis aliis.

e) In Somn. Scip. L. I. 6. p. 41. ed. Lugd.

ee) Modus Ratioque Stud. Med. c. 5. p. 169. T. I. et Orat. De Medic. Orig. p. 47. ſeq. T. II. *Opp.*

f) Microtechn. Epil. §. 2. p. 522.

tome concertationes, cuius cognitionem summam accuratamque ipse sane magnorum virorum more ingenue deprecaretur, tot denique doctas velitationes suis ipsius oculis, sopore letifero gravique veterno discusso, coram agi cerneret. Aut vanus augur sum, aut certe propugnatores suos, nisi duriter, ac maxima cum animi indignatione, at lepide saltem festiueque traduceret, simili fere modo, quo sophistarum genus olim stomachabundus exceperat. Quantum enim hodienum vt in omnibus litterarum studiis, ita etiam vel maxime in medicina reliquum sit aut ad inueniendum, aut ad melius explicandum, fugere, puto, neminem, perspexitque id praeter BAGLIVVM g), FÜRSTENAVIVM h), PLAZIVM i) aliosque perquam multos suo iam tempore poeta quidam longe clarissimus. Sic enim ille:

Multa tegit sacro inuolucra natura, nec vllis
Fas est scire quidem mortalibus omnia. Multa
Admirare modo, nec non venerare; nec illa
Inquires, quae sunt arcanis proxima. Namque
In manibus quae sunt, haec nos vix scire putandum.
Est procul a nobis adeo scientia veri.

Quare huc haud inepte illa accommodes, quae de fluminibus olim CORNEL. SEVERVS k) dixerat:

g) Prax. Med. II. 7. p. 194. seq. ed. Antw.
h) Desid. Med. I. p. 1. seq.
i) Progr. De piis medicor. desider. p. 4. sequ.
k) In Desc. Aetnae 125. seq. p. 1584. T. II. *Opp.* et Fragm. Vet. Lat. Poetar. Lond. 1713.

Occulta fluunt tectis adoperta cauernis
Atque inopinatos referunt procul edita cursus.

Hinc ſane, niſi me omnia fallunt, tam temerarium nefandumque facinus eſt, nihil vt ſupra, ſi diuino ſeni ex eo, quod nuſquam terrarum eſt, aut ſaltem lubrico coniecturae fundamento ſuffulcitur, fidem, famam, gloriam, auctoritatem denique conciliare velis. Qua in re cum ſophiſtas imitantur magni iſti Hippocratei nominis patroni, in pios manes ſunt longe iniuſtiſſimi, nec ad OVIDII [l]) exemplum dicere ſolent:

Oſſa quieta, precor, tuta requieſcite in vrna,
Et ſit humus cineri non onerosa tuo.

Media mehercle via incedendum eſt, o amici, idque omni depoſito partium ſtudio, ne aut rei, quam tractandam ſuſcepiſtis, dulcedine abrepti HIPPOCRATI diuino detis auctoritatis captandae gratia, quod certe temporum recentiorum eſt, aut etiam, ſpretis eius monimentis frugi plenis et ob inſulſum nouarum rerum amorem prorſum poſthabitis, ad riuulos, eosque turbidiſſimos anheli decurratis, ad fallendam ſitim, neque tamen ſatis reſtinguendam. Digniſſimus omnium eſt HIPPOCRATES, quem nunquam de manibus deponas, quin inde doctior recedas et ad naturae inueſtigationem accommodatior, neque ideo ſuſque deque habendus eſt illico, ſi quaedam aut nuſquam attigit, aut ſaltem non ſatis in iis libris, qui

l) Amor. III. El. 9. 67.

qui eius nomine circumferri solent, expressa videantur. *Non enim*, inquit philosophus, *parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseuerasse, turpe est, propterea, quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari vniuscuiusque vitio est attributum.*

Quod vt in omnibus medicinae partibus locum habet, quam, auctore CELSO m), *totam sibi vendicauerat*, HIPPOCRATES, ita etiam vel maxime de eius *anatome* dici potest. Insedit enim quorundam animis ista peruersitas, vt non, nisi Hippocratici medici, videri appellarique velint, quippe a magnis quibusque viris eius praestantiam quouis modo summisque encomiis extolli cognoverunt, adeoque si quos in dissecandorum corporum humanorum arte progressus fecerint, sui nominis gloriae cum maxime consultum esse putant, modo ad HIPPOCRATEM senem referant, quicquid praeclare dictum in medicina vnquam est aut bene in anatome gestum, praesertim si in spinosam illam lubricamque quaestionem incidant, *vtrum Hippocrates corpora humana insecuerit, nec ne?* Quod quantis prematur difficultatibus, quantisque pateat ridiculorum hominum scommatis, optime norunt ii, qui hac in medicinae parte non hospites aut peregrini sunt.

Cogitanti igitur mihi innumeram clarissimorum medicorum multitudinem, qui pro veritate anatomes Hippocrateae defendenda strinxerunt gladios, quorumque in numero prae ceteris eminent

m) L. De Medic. I. Praef. p. 3. ed. *Krauf.*

nent GALENVS [n]), ANDR. LAVRENTIVS [o]), CASP. a REIES [p]), IO. LANGIVS [q]), IAC. SPONIVS [r]), IO. RIOLANVS [s]), ASELLIVS [t]), MOEBIVS [u]), MARSIL. CAGNATVS [v]), CAR. DRELINCVRTIVS [w]), LINDENIVS [x]), PHIL. IAC. HARTMANNVS [y]), ALMELOVEENIVS [z]), HERM. BOERHAAVE [a]), HALLERVS [b]), TRILLERVS [c]), ſexcentique alii, venit in mentem ſubuereri, ne omnium omnino hominum impudentiſſimus nequiſſimusque eſſe, cauſſaque mea penitus cadere videar, ſi tantis tamque praeclaris nominibus repugnare temere auſim. Sed quic-

n) L. De Placit. *Hipp.* et *Plat.* VIII. 1. p. 226. ſeq. T. V. ed. *Chart.*
o) Hiſt. Anat. L. I. Qu. 5. p. 28.
p) Camp. Elyſ. Iuc. Quaeſt. IV. p. 74.
q) Epiſt. Med. L. I. Ep. 3. p. 15. ed. Hanov.
r) In Praef. Comment. in Aph. *Hipp.*
s) Anthropol. I. 11. p. 76.
t) L. De Lact. c. 6. p. 16. et c. 13. p. 27. ed. Baſil. cf. *Iſ. Cattierii* Obſ. Med. XVIII. p. 61. ſeq. ed. Frft. 1670.
u) Fund. Med. Phyſ. p. 10.
v) Obſeru. Var. IV. 10. p. 625.
w) Opuſc. Anat. p. 8.
x) Medicin. Phyſiol. c. 6. Art. 15. p. 179.
y) Orig. Anatom. c. 6. p. 40. ſequ.
z) Inuent. Nou-Antiqu. p. 218.
a) Praelect Acad. Vol. I. p. 24.
b) Opuſc. Anat. V. p. 135. ſequ. et Prael. Acad. l. c.
c) Opuſc. Medico-Philol. T. I. Diſſ. IV. §. 3. p. 111. ſeq. quo in loco multa eaque praeclariſſima hoc de argumento collegit, recenſuit, diiudicauit, ad demonſtrandam eam ſententiam, *Hippocratem* vere corpora humana inſecuiſſe.

quicquid mihi hac ex licentia minarum pertimeſcendum ſit, aut periculi iniuriarumque ſubeundum, (id quod expertus dico) tantum tamen abeſt, vt ab magnorum illorum virorum partibus ſtare nobis tuto ſecureque liceat, vt etiam cauſſis multis, iisque, ni fallor, certis inducti non poſſimus non modeſte diſſentire. Fecerunt id iam ante nos FALLOPIVS [d]), HERM. CONRINGIVS [dd]), PITCARNIVS [e]), HEVCHERVS [f]), GOELICKIVS [g]), BARCHVSENIVS [h]), BLANCARDVS [i]), PASCHIVS [k]), IO. HENR. SCHVLZIVS [l]), alii, quorum in caſtra cum tranſeundum mihi fuerit, non poſſum non Hippocrateam anatomen, niſi rudem et imperfectam, ſaltem non ex corporibus humanis diligenter repetitam pronunciare.

Ex quo enim aliquam temporis mei particulam hiſtoriae litterariae dicaram, adeoque eam vel invitis

d) Ap. *Linden.* in Phyſiol. Med. c. 7. Art. 11. p. 306.

dd) Introd. in Vniuerſ. Art. Med. c. 4. §. 9. p. 147. ed. Hal.

e) Opuſc. Med. p. 91. ſequ.

f) Oper. Omn. p. 637. ſeq.

g) Hiſt. Anat. §. 14. ſeq. p. 11. et Hiſt. Med. p. 525. ſequ. qui tamen omnem in reſutando *Hippocrate* modum exceſſiſſe videtur aut per inſcientiam, aut maleuolentiam, cum eum nec thoracis ſitum perſpexiſſe contenderet. In quo vehementer fallitur *Goelickius*. cf. *Bauhin.* Theatr. Anat. Praef. p. 13. vbi plura.

h) Hiſt. Med. Diſſ. IX. §. 3. p. 126.

i) Anat. Reform. in Praefat.

k) Inuent. Nou-Antiqu. c. VI. §. 15. p. 348. ſeq.

l) Hiſt. Medic. Per. I. Sect. III. c. 2. p. 223. ſeq. cf. Hiſt. Anat. Spec. I. §. 26.

vitis quibusdam iudicibus ex ipſis fontibus, meus vt mos eſt, vnice hauſeram, non neglectis recentiorum hominum libris, dici vix poteſt, quantis haud raro laborare cognouerim erroribus atque deliramentis eos, qui ante nos obiter iſto in argumento verſati ſunt. Saepenumero enim ne verbulum quidem vſquam apud veteres, quos ſuae ſententiae auctores patronosque adduxerant, extare intelleximus, aut etiam, cum iſtorum linguam non ſatis callerent, ludicris verſionum crepundiis freti ſeſe identidem optimo cuique ac harum litterarum gnaro ridendos ac excipiendos ſibilo praebuerunt.

Accidit id, ſi quid video, cum maxime in *anatome*, quae vt inuentorum poſt mille ſecula eſt longe feraciſſima, ita etiam multis videtur maioris famae gloriaeque fieri particeps, ſi eius antiquitates ad HIPPOCRATEM vſque et vltra diluuium ipſum deduxerint. Sed temere profecto et magna cum diuini ſenis iniuria. Nam, teſte TERENTIO m):

Nuſquam ita quisquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, vſus, ſemper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quae te ſcire credas, neſcias,
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Ante vero, quam ad refellendam hanc magnorum virorum opinionem me accingam, qua HIPPOCRATES *humana corpora inſecuiſſe dicitur*, ſancte iam

m) Adelph. Act. V. Sc. 4. init.

iam polliceor et per pios Coi fenis manes iuro, me eum AESCVLAPII *fucceſſorem* [n]), *medicinae principem* [o]), θειότατον [p]), *omnis medicinae parentem* [q]), *medicinae Prometheum* [r]) cet. non habere folum, verum etiam femper habiturum, neque vnquam temere magnam eius auctoritatem negaturum, ne mihi ex praefcripta iurisiurandi formula παραβαίνοντι καὶ ἐπιορκοῦντι τ'ἀναντία τουτέων accidant, excepta tamen illa fentiendi dicendique libertate, vt, fi qua mihi fecus videantur, faluo HIPPOCRATIS magni honore, difcrepare profiterique illud palam liceat, omniumque maxime fcientiam eius anatomicam, etfi aliqua fit et pro iftorum temporum more peregregia, ex minuta tamen cadauerum humanorum vifceratione nullo modo hauftam pronunciare. Hinc, vt in marmoribus Arundelianis apud IO. SELDENVM eft, ἐυορκοῦντι μέν μοι εὖ εἴη. *Recte iuranti mihi bene fit.*

Medicina quo longius ab prifcis temporibus fuisque incunabulis repetitur, eo rudior atque fimplicior eft, adeoque nec licet vltra heroas graecos tranfcendere, nifi velis denfiffimis fabularum tenebris circumfundi et tantum non opprimi.

AESCV-

n) *Plato* in *Protag.* p. 311. T. I. ed. *Steph.*

o) *Plin.* Hift. Nat. VII. 51. et *Seneca* De Brev. *Vit.* c. 1. p. 310. T. I. ed. Lipf.

p) *Alex.* Trall. VI. 1. p. 278. ed. *Guinth.*

q) *Celf.* L. De Med. VII. 1. p. 405. ed. *Krauf.*

r) *Theophil.* Protofp. De Fabr. Corp. Hum. V. 19 cf. *Meibom.* Comm. in Iufiur. *Hipp.* p. 207. feq. vbi plura referuntur.

AESCVLAPII enim ipſius *medicina*, a quo oriundus ſucceſſione quadam naturae fuerat HIPPOCRATES, tota, quanta quanta eſt, experientia et vſu rerum obuiarum conſtitit, maxime vero vulnerum curatione. Hinc factum eſt, vt magna ille nominis et artis celebritate cum apud ſuos eſſet, tum apud poſteros auctoritate valeret plurimum, adeoque vt CELSVS s) litteris reliquit conſignatum, *quoniam adhuc rudem et vulgarem illam ſcientiam paullo ſubtilius excoluit, in deorum numerum receptus eſt.*

Rudis mehercle illa fuit atque imperfecta, idque, PLATONE t) iudice, quia priſci homines nec gulae blandimentis dediti erant, nec deſidia inertique otio prorſum diffluebant, aut ſi in quem forte morbum inciderant, quiete, inedia, pharmaciſque ſolis vtebantur.

Obtinuit is etiam mos apud *eius filios*, quorum HOMERVS u) meminit, adeoque vſque ad *Herodici* tempora, vbi alia multa, inuecta peſtilenti morum corruptione, videbantur perquam neceſſaria. Illi vero praeter herbas et radices, vt auctor PLVTARCHVS v) eſt, nihil nouerant, atque ſic aegrotis medebantur. Factum hinc eſt, ni fallor, vt lepide ſciteque hanc priſcae medicinae conditionem deſcriberet SENECA w).

Fuit

s) L. De Medicin. I. Praef. p. 1. ed. *Krauſ.*

t) Politic. I. 4. p. 398. T. III. Celſ. l. c. p. 2.

u) Iliad. λ. 630. ſequ.

v) Sympoſ. I. p. 159. ſeq. T. II. ed. *Xyl.*

w) Epiſt. 95. p. 407. T. II. ed. Lipſ.

Fuit sine dubio vetus illa sapientia, cum maxime nascens, rudis: non minus, quam ceterae artes, quarum in processu subtilitas creuit. Sed ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam late se sparserat. Poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt, quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paullatim: Deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. — Quid alios referam, pergit magnus ille philosophus, *innumerabiles morbos, supplicia luxuriae? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata: Excipiebat illos cibus, qui, nisi esurientibus, placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat ex simplici caussa valitudo. — Antiqui medici nesciebant dare cibum saepius, et vino fulcire venas cadentes: Nesciebant saniem emittere, et diutinam aegrotationem balneo sudoribusque laxare: Nesciebant crurum vinculo brachiorumque latentem vim et in medio sedentem ad extrema reuocare. Non erat necesse circumspicere multa auxiliorum genera, cum essent periculorum paucissima.* Bene profecto haec omnia naturaeque apposite. Nam tunc demum, cum homines spretis temperantiae studiis,

diis, in voluptates proni essent, auctore HORATIO [x]),

Macies et noua febrium
Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.

Quod si verum est, vt est, sequitur, omnem *Asclepiadarum medicinam* et paucarum herbarum fuisse, et maxime incantamentis, quales *μαλακὰς ἐπαοιδὰς* PINDARVS et GALENVS [y]) ipse commemorarunt, acceptam ferendam videri. Qua de re cum ob vitae simplicitatem morumque castitatem morborum natura tunc temporis non esset recondita, nec opus fuisse videtur corporis humani laceratione ad interiores mali sedes et latebras detegendas.

Satis igitur mirari non possum GALENI aut qui demum cunque auctor *introductionis* [z]) est, summam impudentiam. *Haec quidem experientia,* inquit ille, *ratione vacua nondumque rationalis fuit. Ceterum perfectam medicinam et omnibus numeris suis absolutam, nimirum diuinam aio, Aesculapius solus inuenit. Illam vero, quae inter homines versatur, huius successores Asclepiadae posteris acceptam tradiderunt.* Sapiunt enim haec verba, vt recte iam praesenserat IO. HENR. SCHVLTZIVS [a]) callidum

x) Carm. I. Od. 3. 30. sequ.
y) L. Sanit. Tuend. I. 8. p. 53. T. VI. ed. *Chart.*
z) Introd. c. 1. p. 361. T. II. ed. *Chart.*
a) Hist. Medicin. Per. I. Sect. II. c. 2. §. 14. sequ. p. 84.

dum GALENI animum, *nimirum vt locus relinqueretur, quaecunque imperfecta et manca essent, hominum negligentiae erroribusque imputandi*, adeoque etiam studio deditaque opera omnem temporis rationem neglexisse censendus est, similiter vt HYGINVS, qui AESCVLAPIVM medicinae clinicae inuentorem praedicat, quippe id sacro Asclepiadarum instituto penitus repugnat.

At vero multus prae ceteris GALENVS b) est in explicanda *Asclepiadarum anatome*, quae quasi hereditatis iure a patre ad filium transierat sic, vt, *cum domi apud parentes a pueritia exercerentur lectione, scriptura, cadauerum dissectionibus, nec administrationibus anatomicis, nec libris indigerent.* Ecquid istius hominis nugis leuibusque verbis futilius, ecquid stultius? Qui cum fallere vellet, atque sibi omnique *Asclepiadarum* sodalitati famam vendicare, si eos anatomen probe a pueris calluisse diceret, ea vsus tantum non semper inconstantia et mala fide est, vt modo aiat, modo neget; modo in summas effusus laudes sit, si patrium AESCVLAPII numen ac vniuersum *Asclepiadarum* collegium nominet, idque multis de caussis commotus, quas breuiter recensuit IO. HENR. SCHVLTZIVS c); modo iterum, vbi ad singulos ventum est, acriter eos perstringat, et quam imperiosa eorum medicina d), quam manca, mutila, rudis istorum anatome

b) Introduct. cit. et pag. cit. Administrat. Anatom. II. 1. p. 46. T. IV. ed. *Chart.*

c) Hist. Medic. Per. I. Sect. II. c. 5. §. 4. seq. p. 143.

d) *Galen.* Method. Medend. I. 1. p. 2. T. X. ed. *Chart.*

tome vel poſt HIPPOCRATIS tempora fuerit, dilucide doceat. Quod ſi non eſt iniuſte agere, reique ſuae fidem omnem derogare, quid tandem ſit, iuxta cum ignariſſimis ignoro.

Quicunque enim ex ſacra *Aſclepiadarum* familia prognati erant, ii, neceſſe eſt, vnam eandemque viam ac rationem in addiſcenda corporis humani natura morborumque curatione didicerint et ſecuti fuerint, ſi GALENO huiusque doctrinae patronis fides vlla habenda eſt. Qui factum igitur eſt, vt quidam rudes ab anatome eſſent, alii non item? Iſta ſapientia, niſi omnis fallor, aut nulla omnino fuit, aut vix nobili iſthoc nomine digna, quia, teſte PLINIO [e]), *rudis fuit priſcorum vita atque ſine litteris.* Videtur hinc in omnem *Aſclepiadarum* Sodalitatem illud HERACLITI apud ATHENAEVM [f]) cadere dicterium, quo *ſoli medici obeſſe putantur, quo minus primum inter ſtultos locum meritiſſimo iure adſignemus grammaticis.*

Praeclare haec profecto, nec iniuria. Eſt enim omnis *Aſclepiadarum* diſciplina ſic comparata, vt tantae ſcientiae locus nullus ſit, eorumque fraudes in aegrorum curatione apud veteres tam famoſae ſunt, nihil vt ſupra. Ecquid iſta ARISTOPHANIS [ff]) imagine, quam coram populo auda-

e) Hiſt. Nat. XVIII. 29.

f) Deipnoſ. XV. 1. p. 666. ed. *Dalechamp.* cf. *Schultz.* Hiſt. Med. Per. I. Sect. II. c. 7. §. 60. p. 182.

ff) In *Pluto* Act. III. Sc. II. 20. ſeq. cf. ſi placet, *Suidas* voc. δομνῖνος, p. 764. T. I. ed. *Port.* vbi bonus *Aeſculapii* Sacerdos vtrique aegro, *Plutarcho* Athenienſi ac *Domnino* Syro ſ. Iudaeo tanquam remedium optimum, com-

audacter pronunciauit, ſignificantius eſt aut magis veritati conſentaneum? Neque latere quemquam puto, quam bene quendam impoſtorem ſub AESCVLAPII nomine mentientem LVCIANVS g) deſcripſerit, adeoque non poſſum non id genus homines eorumque ſcientiam parui facere, praeſertim cum nullum vſpiam extet de illorum anatome certum atque indubitatum documentum.

Fac vero, habuiſſe quosque huius collegii curioſos leuem aliquam corporis humani notitiam, quam vel extiſpiciis acceptam ferebant, vel ex obuiis inter bellorum ſtrepitus vulneribus hauſerant, numquis illam vere dixerit *anatomen?* Iſtae enim minutae accurataeque animalium diſſectiones, ſi quae vnquam factae ſint, et cuiusque arbitrio videntur relictae fuiſſe, et minus cum noſtri corporis fabrica conuenire. O miſerum mendaciorum artificem, GALENVM, cum his doctrinae Aſclepiadeae ludibriis ceteros vellet fallere! Boni enim iſti viri, PLATONE auctore ac GALENO gg) ipſo teſte, ne illam quidem medicinae partem ſatis excoluerunt, quae in *victus ratione* verſatur, atque omnium longe facillima et perquam neceſſaria eſt cum ad bene beateque viuendum, tum ad aegros feliciter perſanandos. Quod ſi verum

commendauit carnem ſuillam, etſi diuerſo morbo laboranti. Quod cum alter deprecaretur, neque aliam medendi viam ingredi magnus ille numinis interpres dubitauit.

g) In *Alexand.* p. 473. ſequ. ed. *Bourdel.*

gg) L. ad *Thraſybul.* Hygieine medicinae ſit, an gymnaſt. c. 33. p. 30. T. VI. ed. *Chart.*

verum eſt, quis noſtrum, quaeſo, ſibi amplius perſuaderi patietur, eos nefanda ſacrilegaque mortuorum laceratione ſe vnquam contaminaſſe?

Accedit et illud, quod GALENVS h) ipſe ſic verſatur in deſcribenda anatome, vt duas eius ſpecies conſtituat, quarum alteram *κατ᾽ ἐπιτήδευσιν*, alteram *κατὰ περίπτωσιν* appellet. Prior illi, quam nos hodie colimus, diſſectionis viae ac rationi ſatis ſuperque reſpondet, poſterior vero debetur caſui fortuito vulnerique magno, fuitque haec quaſi empiricorum propria. Iam vero cum omnis veterum medicina ſola experientia et vſu conſtet, ecquam tunc temporis anatomen artificioſam locum habuiſſe cenſeamus? Equidem vix crediderim.

Male igitur et rei ſuae, et HIPPOCRATIS auctoritati conſulunt, qui in propugnanda corporis humani laceratione hos *Aſclepiadas* teſtes, auctores, duces atque coryphaeos appellant, idque ex GALENI fide. Iure enim meo ſtomachari mihi atque ſuccenſere poſſe videor, quoties eius libri in manus veniunt, iique cum maxime, quibus HIPPOCRATI ſuum decus ac pretium ſtatuere allaborat. Inciderat eius aetas, vt inter omnes conſtare arbitror, in iſtorum temporum infelicitatem, cum medicina in varias partes diducta et vi quaſi diſtracta, incredibile, quantum deflexiſſet a maſcula illa forma vereque Hippocratica. Quam vt quaſi ab inferis reuocaret, priſtinoque

h) Definit. Med. n. 34. p. 236. T. II. et Admin. Anat. I. 2. p. 28. T. IV.

noque ſplendori redderet, turpi medicorum veterno diſcuſſo, hoc opus, hic labor erat, quem ſibi GALENVS propoſuerat, adeoque non mirum eſt, ſi ſuae doctrinae vndiquaque lectae atque ex Peripateticorum maxime ſcholis ductae pretium aliquod et ornamentum proferendis HIPPOCRATIS diuini meritis conciliandum exiſtimaret. Quod quam ſaepe fecerit, fumumque pro auro vendiderit ſimiliter, iam non licet amplius per temporis anguſtias et argumenti huius dignitatem anquirere. Attigit id ſaltem, ni fallor, olim CASP. HOFFMANNVS, magnum Germaniae noſtrae decus, cuius immenſam in GALENO explicando operam quis eſt, qui non laudibus ſummis ac debitis efferat? Quare cum GALENVS probe perſpiceret, bonum medicum fore neminem, niſi in anatome bene verſatus ſit, ecquod mirum, ſi et diuino ſeni pereximiam plenamque interiorum corporis humani partium cognitionem attribueret, et vbique clamaret (liceat CELSI [i]) verbis vti) *veriſimile eſſe, et Hippocratem et Eraſiſtratum, et quicunque alii, non contenti febres et vlcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte ſcrutati ſunt, non ideo quidem medicos fuiſſe, verum ideo quoque maiores medicos extitiſſe.*

Accedit, quod GALENI aetas tot tantisque ſeculorum interuallis ab Hippocratea recedit, adeoque plurimae de ſingulari magni *huius viri anatome*, ſcriptiones aut penitus interciderant temporis iniuria variarumque ſectarum odio, aut

 etiam

i) L. De Medic. I. Praef. p. 13. ed. *Krauſ.*

etiam non, nisi vagis *Asclepiadarum* rumoribus, tanquam firmamento stabilitatis, innitebantur maioris famae gloriaeque aucupandae gratia. Hinc, si quid video, tanta GALENO non semper habenda fides est, quantam, si propius ab HIPPOCRATE afuisset, prae ceteris ob assiduam Coi senis lectionem promereretur, praesertim cum nusquam in spatiosis eius voluminibus quaedam veterum medicorum fragmenta, vt alias solet, in medium adferat, quibus haec *Hippocratea anatome* contineatur. Quibus se ita habentibus, non male, puto, colligitur, GALENI auctoritatem hac in re permediocrem videri, nec tantis tamque eximiis laudibus commendabilem, vt multis etiamnum videtur, siquidem ne in eo quidem secum prorsus consentiat, *simia os iuguli habent, nec ne*, cum modo aiat [k]), modo iterum neget.

Immo vero re ipsa expertus scio, cum nuper in statuendo librorum Hippocrateorum pretio versarer, quam manca, lubrica, et inconstans eius fides sit, quas verborum ambages adhibeat quam calamistratis haud raro vaframentis quam contortulis ac minutulis conclusiunculis identidem vtatur, vt diu cum dubiis GALENI sententiis conflictatus atque in hoc rerum lubrico semel iterumque circumagitatus, tandem essem multo incertior quam ante.

Quid igitur praeclari, amici, ab isto expectemus homine, in enodanda HIPPOCRATIS *anato-*

k) Admin. Anat. V. 3. p. 114. et Differt. Ner. c. 11. p. 246. T. IV. ed. *Chart.*

anatome, cuius nec apud ipſum vllum extat veſtigium, vt infra pluribus docere animus eſt, nec apud eos, qui proxime poſt eius tempora inclaruerunt? Quid dignius magno viro eſt, quid argumento noſtro accommodatius, quam tanto diffidere promiſſori, qui in re coniecturali non coniecturas ſolum; verum eas etiam, tanquam veriſſimas, ſine vlla cunctatione adhibendas duxit? Abeat igitur GALENVS, resque ſuas agat feliciter. Eius auctoritatem, cum nulla ſit in re tam incerta, nec idoneis ſuffulta fundamentis, curaturum, ſpero, amplius neminem. Sed accedamus propius ad ipſum noſtrum HIPPOCRATEM.

Dicitur HIPPOCRATES, cuius tam praeclara monimenta ſunt, nihil vt ſupra, a multis, iisque clariſſimis viris profeciſſe. Quorum in numerum etiam, auctoribus CELSO [l]), SORANO [m]), SVIDA [n]) ac TZETZE [o]), referatur DEMOCRITVS, quem in herbarum cognitione reique naturalis ſtudio, praeſertim vero *in ſecandis humanis corporibus*, tantum valuiſſe aiunt, quantum iſta aetate nullus. Quod ſi verum eſt, mirari ſatis non poſſum, quid ſit, quod tot vitioſae corporis partium deſcriptiones in diſcipuli libris occurrant. *Pigri enim eſt ingenii*, inquit philoſophus, *contentum eſſe his, quae ab aliis inuenta ſunt.*

l) L. De Medic. I. Praef. p. 3. ed. *Krauſ.*
m) In Vita *Hipp.* p. 951. T. II. ed. *Lind. Opp. Hipp.*
n) Sub voc. Ἱπποκράτης. p. 961. ed. cit.
o) Hiſt. VII. Chil. 155. 945. p. 958. T. II. *Opp. Hipp.* ed. *Lind.*

Ex his vero HIPPOCRATIS magni erroribus facile colligitur, nec in *Aſclepiadarum* familia conſectiones corporis humani ex inſtituto et minutatim factas eſſe, quoniam alias ſine partium notatione, ſine libris anatomicis nullo modo eſſe potuiſſent, id quod GALENVS p) nobis perſuadere allaborat; neque DEMOCRITVM quicquam ad ſedem inſaniae percontandam, niſi brutorum animantium viſcera, cultro ſubieciſſe, vt dilucide in epiſtolis Hippocrateis q) proditum eſt memoriae.

Accedit et illud, quod, cum rerum inſecando obſeruatarum numerus augeſceret indies, neque memoria vlla ad haec comprehendenda ac retinenda ſatis tenax fuiſſe videretur, multa medicorum ſcripta fierent neceſſe erat, id quod SOCRATES apud XENOPHONTEM confitetur. Iam vero HIPPOCRATES iis tam parce vſus eſt, vt ea omnino, quae bene ante eum dicta erant, aut imprudenter negligeret, aut etiam generatim, quia nullius frugi erant, iure ſuo haberet contemtui: adeoque nobis videtur eſſe veriſimillimum, id genus libros anatomicos nullos, artem vero hanc ipſam nullam fuiſſe, quippe ipſe diuinus ſenex r) *ſe et cum multis medicis verſatum eſſe, atque cum eorum filiis diſcipulisue ſermones de rebus medicis habuiſſe, et multorum ſcripta accepiſſe* publice profitetur;

p) Introduct. c. 1. p. 361. T. II. et Adminiſtrat. Anat. II. 1. p. 46. T. IV. ed. *Chart.*

q) Ep. *Hipp.* ad *Damaget.* p. 914. T. II. ed. *Lind.*

r) Praedict. II. §. 10. p. 495. T. I.

tetur; neque tamen eorum vnquam meminit, ſi qui hanc inſecandorum corporum artem vel calluiſſent, vel ſaltem litteris prodidiſſent.

Fac vero, HIPPOCRATEM, publica Cnidiorum bibliotheca igne flammisque concremata, ex patria demigraſſe, vt poſt ANDREAM SORANVS [s]), VARRO apud PLINIVM [t]), IO. TZETZES [v]), ſexcentique alii, litteris prodiderunt, id vnum relinquitur, diuinum ſenem hoc ſe ſcelere polluiſſe ideo, vt omnes omnino ſcientiae medicae copias, aut ſaltem, vt PLINIVS [x]) mauult, tabulas votiuas ſecum tuto deportaret. Iam vero cum ex aduerſariorum fide Cous ſenex eo procederet audaciae, vt ſcelere tam foedo atque omnium turpiſſimo famae ſuae maculam inureret ſempiternam, quid, quaeſo, eum prohibuit, quo minus, quicquid opum medicarum coram erat, rapaci manu tolleret? Quid tam facinoroſum hominem impediuit, quin ex templo libros, qui ad humani corporis viſcerationem ſpectabant, aut ſecum impune auferret, aut, niſi litteris, conſtarent illa ſaltem *Aſclepiadarum* myſteria palam aperteque diceret ad maiorem illis inuidiam concitandam? At mehercle nunquam huius criminis ſe reum fecit HIPPOCRATES, cum id et veritati repugnet, et Graecorum inſtituto, quo nihil ſacrilego foedius, nihil deteſtabilius videbatur, neque

s) In Vita *Hipp.* p. 952. T. II.
t) Hiſt. Nat. XXIX. 1.
v) L. cit. in calc. *opp. Hipp.* p. 958. T. II.
x) L. cit.

eum hac de re vnquam accusarunt aduersarii, adeoque id tam certum est, quam quod certissimum, *nusquam* id genus aut *libros anatomicos repertos* fuisse, aut viscerationibus humanis operam navasse Coum senem.

Sed multis praeterea caussis prohibeor, quo minus iis adsentiam, qui HIPPOCRATEM *corpora humana vnquam insecuisse, idque sollerter et ex artis lege*, publice profitentur. Vt enim in quacunque re expendenda omnia ea in consilium adhibenda sunt, quae aut eius veritatem maiori luce collustrant, aut ei repugnant quasi ex transuerso, ita etiam hoc in argumento inuestigatione dignissimo versandum mihi prae ceteris videtur.

Peruaserat igitur priscarum nationum animos pestilens ille error, quo *interiores corporis humani recessus* et penetralia penitius *indagare nefas* existimabatur. Hinc sane, si quid video, CICERO [z]): *Corpora nostra*, inquit, *non nouimus; qui sint situs partium, quam vim quaeque pars habeat, ignoramus.* Locum vero habuit ea e ceteris *superstitio*, quantum equidem scio, apud Aegyptios, ex quarum legibus, vt HERODOTVS [a]), PLVTARCHVS [b]), DIODORVS SICVLVS [c]), IAMBLICHVS [d]), aliique litteris prodiderunt, ne in pollinctura quidem licuit viscera curatius perscrutari. Graeci vero

z) Quaest. Academ. IV. 39.

a) Hist. II. 90. p. 121. ed. *Gale.*

b) Conviv. Sept. Sap. p. 159. T. II. ed. *Xyl.*

c) Biblioth. I. p. 82.

d) L. De Myster. Sect. VII. 1. p. 144. ed. *Gal.*

vero eo processerunt dementiae, vt teste HESYCHIO et ipsos vespillones odio haberent eorumque domicilia extra vrbem esse vellent, et *piaculo* praeterea sibi ducerent, si quis *insepulto corpore* post fata esset. Hinc ab descensu in orcum AENEAM e) Cumaea *Sybilla* hisce verbis prohibet:

Iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis!) totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.

et paullo post f) iterum, miranti AENEAE cum CHARONTEM, nauitam illum tristem ac squalidum, ab traiectu quosdam arcentem cerneret, *Sybilla* respondit:

Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.
Portitor ille Charon, hi, quos vehit vnda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitantque haec littora circum;
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt.

Natum hinc est Atheniensium edictum de sepeliendis mortuorum corporibus, quod ex AELIANO g) adducere nobis liceat: Ὅς ἂν ἀτάφῳ περι-

e) *Virgil.* Aen. VI. 151. seq.

f) Aen. l. c. 328. seq.

g) Var. Hist. V. 14. p. 122. ed. *Scheff.* sed violata haec lex fuit, auctore *Thucyd.* Bell. Pelop. II. 52. p. 114. ed. Oxon. in pestilentia illa, quae Atheniensibus olim tam perniciosa fuit.

περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπȣ, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας. *Si quis in insepultum cadauer hominis incidat, saltem ei terram iniiciat et ita sepeliat, vt ad occasum spectet.* Similis ratio auitae illius opinionis est, qua sepulcris vim inferre nefas ducebatur. Qua de re bene ac eleganter EVRIPIDES h):

Κακεῖνο κέκριται μὴ ἐφυβρίζεσθαι νεκρȣ́ς.
Et illud statutum, ne quis violet mortuos.

Nec minus pie in manes fuisse censendus est PHOCYLIDES i):

Γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταρχύτοις νεκύεσσι.
Μὴ τύμβον φθιμένων ἀνορύξῃς, μηδ' ἀθέατα
Δείξῃς ἠελίῳ, καὶ δαιμόνιον χόλον ὄρσῃς.
Οὐ καλὸν ἁρμονίην ἀναλύεμεν ἀνθρώποιο,
Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν,
Λείψαν' ἀποχομένων· ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται.
Ψυχαὶ γὰρ μίμνȣσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι.

Ter-

h) Phoeniss. Act. V. 11. p. 116. ed. Bas. 1562. cf. *Cic.* Quaest. Tuscul. I. 45. maximeque L. De Leg. II. 22. seq. vbi multis manium iura explicantur.

i) Monitor. 94. seq.

Terram impertire insepultis cadaueribus,
Nec tumulum mortuorum refodias, neque non adspectabilia
Soli monstres, diuinamque iram accersas.
Inhonestum est hominis compagem resoluere.
Et mox e terra speramus nos in lucem prodituros,
Defunctorum reliquias: postea vero dii erunt.
Animae namque incorruptae manent in mortuis.

Habebatur hac de caussa omnium miseriarum maxima, si cui ne post fata quidem placide requiescere liceret, idque periculi cum maxime malis hominibus, latronibus patriaeque proditoribus imminebat, vt AELIANVS k) auctor est: Οὐκ ἦν ἄρα τοῖς κακοῖς ὐδὲ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, ἐπεὶ μηδὲ τότε ἀναπαύονται, ἀλλ' ἢ παντελῶς ἀμοιρῦσι ταφῆς, ἢ καὶ ἐὰν φθάσωσι ταφέντες, ὅμως καὶ ἐκ τῆς τελευταίας τιμῆς, καὶ τῦ κοινῦ πάντων σωμάτων ὅρμυ, καὶ ἐκεῖθεν ἐκπίπτυσι. *Malis ne mors quidem prodest, quoniam neque tunc possunt quiescere, sed aut prorsus destituuntur sepultura, aut quanquam sepeliantur, tamen supremum honorem et communem omnium corporum portum amittunt.* Accidit id vel maxime BESSO kk), qui *Darium*, Persarum regem, misere occi-

k) Var. Hist. IV. 7. p. 100. ed. *Scheff.* cf. *Galen.* Admin. Anatom I. 2. p. 27. T. IV. ed. *Chart.* nec non *Caelius Rhodigin.* IX. 43. sequ. p. 470. ed. *Ald.* quo in loco permulta de hoc veterum in sepeliendo ritu et opinionibus adferuntur.

kk) Ap. *Diod. Sic.* Bibl. L. XVII. P. II. p. 554. ed. *Rhod.*

occiderat; deinde PHOCIONI [l]) quem Athenienſes inhumatum proiecerunt; multisque praeter hos aliis; in primis vero PAVSANIAE, vt CORNELIVS NEPOS [ll]), PLVTARCHVS [m]), AELIANVS [n]), et DIODORVS SICVLVS [o]) commemorarunt. Similiterque DIONYSIO tyranno. Nec, ſi fides QVINCTILIANO [p]) eſt, Romanus populus ſine eiusmodi exemplis fuit. Aegyptiique, vt idem AELIANVS [pp]) auctor eſt, ab hoc ſepulturae honore POMPEIVM magnum prohibuerunt. De proditoribus vero, quibus prae ceteris hoc ſupplicii genus pertimeſcendum ſubeundumque fuit, vide, ſi placet, PHOTIVM [q]) et HYGINVM [r]). Qua ex cauſſa etiam in furias actus AIAX apud SOPHOCLEM [s]) haec mala verba ominatus eſt:

Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός.
Malus male inſepultus excidat terra.

Habuit

l) Ap. *Aelian.* Hiſt. Anim. XII. 6. p. 251. ed. *Geſn.*
ll) In Vit. *Pauſan.* c. 5.
m) L. De ſera Numin. Vindict. p. 555. T. II. et p. 566. ed. *Xyl.*
n) L. cit.
o) Bibl. L. XI. p. 35.
p) Declam. 274. p. 468. ſequ. ed. *Obrecht.*
pp) L. cit.
q) Biblioth. p. 1454. cf. *Euripid.* Phoeniſſ. Act. V. 321. ſq. prae ceteris vero *Thucyd.* Hiſt. Bell. Peloponeſ. I. 138. p. 77. ed. Oxon. vbi expreſſe de proditoribus in agro Attico non ſepeliendis ſermo eſt.
r) Fabul. 72. p. 144. ed. Mythograph. Lat. *Auguſtin. van Staveren.* 1742.
s) *Aiax* 1248.

Habuit autem maximam iſta opinio vim ad plebeculae militisque animum permulcendum, quae, dici vix poteſt, quantopere eos ad fortiter pro patria obeundum allexerit et tantum non concitarit. Apud EVRIPIDEM [t]) enim pater, cum filius in proelio mortem oppetiiſſet, ſic ſecum loquitur:

Ἐμός τε γὰρ παῖς γῆς ὄλολ᾽ ὑπερθανὼν,
Τοὔνομα λαβὼν γενναῖον, ἀνιαρὸν δ᾽ ἐμοί.

Meus enim filius pro patria ſe deuouens periit,
Splendidum quidem nomen adeptus, ſed triſte mihi.

Tantus vero iis ex Athenienſium et Lacedaemoniorum inſtituto [tt]) honos habebatur, vt et oratione funebri decorarentur, et ſepultura ſplendida.

Porro etiam religioni Graecis ducebatur, quoties inter ſe dimicarant, corpora mortuorum negligere, vt de *Alexandro* magno [u]) memoriae proditum eſt. Qua ex re factum eſt, vt et victi a victoribus inducias ad ſepulturam honeſtam peterent, et hi viciſſim ſuorum manibus ſatisfacerent, id quod omnium optime ex Lacedaemoniorum [uu]) exemplo patuit, qui a Thebanis PELOPIDAE

t) Phoeniſſ. Act. V. 4. ſequ. p. 116.

tt) *Thucyd.* l. c. vbi *Periclis* oratio ſimul adducitur. cf. *Plato* in *Menexem.* pl. p. 234. T. II. ed. *Steph.* vbi multis de laudatione funebri et ſepeliendi ritu diſſeritur. Similiter L. De Legib. XII. p. 960. T. II. et *Lucian.* L. de Luctu, p. 809. ed. *Bourdel.*

u) *Diod. Sic.* Bibl. L. XVII. P. II. p. 542.

uu) *Plutarch.* in *Pelopid.* Vit. p. 296. T. I. ed. *Xyl.*

PIDAE corpus humandum petierunt. Immo vero duces exercitus capitis rei fuiſſent iudicati, ſi quid iſto in negotio aut contra leges feciſſent, aut ſaltem cuncta haec maiorum inſtituta non ſancte obſeruaſſent. Accedit ea Athenienſium ſuperſtitio, vt ATARBEN, ob necatum paſſerem AESCVLAPIO ſacrum, nulla inſaniae aut imprudentiae habita ratione, morte mulctarent. Riſit nuper hunc noſtrum ATARBEN iudex ille, maleuolus Gottingenſis [v]), ſed quo iure, neſcio. Non enim (fateor) tam ridiculum videtur, a minori ad maius, vt in ſcholis loquuntur, colligere.

Quod inſtitutum ſacrum cum tam alte omnium inſideret animis, vt illud prorſum euellere aut funditus exſtirpare liceret nemini, facile hinc conficitur, qui aut caeſorum in bello corpora attingeret, aut terris iamiam mandata denuo atque clam anatomes gratia ſurriperet, fuiſſe profecto neminem. Hinc ſi qua medicis, qui caſtra ſequebantur, vis atque occaſio fuit interiora humani corporis inueſtigandi, de quo nullus dubito, perexigua certe atque fortuita fuit haec ſcientia, nec facile vltra vulnerum externorum cognitionem extendenda. Quae ſi voluiſſent aut in viuis hominibus ſine neceſſitate ampliare ad penetralia corporis perſpicienda, aut mortuos cultro ſubiicere, ſimiliter ſine dubio, vt duces, in famae vitaeque periculum incurriſſent, aut ſaltem habiti fuiſſent ob crudelitatem ſuam odio longe maximo digniſſimi: id

v) Philolog. Biblioth. Stück VIII. Band I. p. 437.

id quod multis ſeculis poſt, auctore PLINIO [x]), propter crebram ſecandi vrendique lubidinem Romae accidit *Archagatho.*

Fuerunt certe haec omnia impedimento, quo minus plenior humani corporis internarumque partium cognitio cum in veteribus reliquis tum vel maxime in HIPPOCRATE locum haberet. Qui cum, patria relicta, per Theſſaliam ceterasque regiones itinera faceret artis cauſſa, nullo mehercle modo potuit, inſpectantibus peregrinis hominibus, aut ſaltem hoſpitibus hac ſuperſtitionis labe contaminatis, per accuratas atque ex maiorum inſtituto illicitas diſſectiones ſuo nouarum rerum deſiderio ſatisfacere, praeſertim ſi GALENO [z]) ſua fides conſtat, HEROPHILVM primum hominum viſcera reſcidiſſe, non vero animantium, vt apud priſcos medicos moris fuerat.

Quod ſi verum eſt, et quis eſt, qui huic teſtimonio temere refragari audeat? quare ad noſtram ſententiam refellendam HEROPHILVM eiusque adſeclas nuper adduxerit philologus Gottingenſis [a]), quem SCHNEIDERVM eſſe audio, prorſum non video. De his enim nullus vnquam dubitaui; at vero nondum exinde ſequitur, eos inſecuiſſe corpora humana, ergo et HIPPOCRATEM. Non profecto eſt philoſophi ſic argumentari. Alias enim neceſſe eſſet, quia praeterito ſeculo omnia ſagarum erant pleniſſima, multo magis

x) Hiſt. Natural. XXIX. 1.

z) L. Diſſect. Vulu. c. 5. p. 279. T. IV. ed. *Chart.*

a) L. cit. p. 438.

magis id fieri hodie oportere, id quod et rei ipſi, et dialecticorum placitis prorſum repugnat. Deinde HEROPHILVS ceterique anatomici a iudice noſtro Graeciae adſignantur, idque, vt nobis videtur, quia ibidem nati erant; at in eo vehementer fallitur. Aliud enim eſt natione Graecus eſſe, aliud in Graecia ipſa, proximeque ab HIPPOCRATIS aetate, viſcera humana inueſtigare. Cadit hoc quam maxime in HEROPHILVM, quippe GALENVS b) auctor eſt, eum in vrbe Alexandrina ad anatomen incubuiſſe, atque aliquam cerebelli partem *calamum ſcriptorium* appellaſſe, nomine a ſimilitudine calamorum ducto, quibus Alexandrini vtebantur. Ex quo colligitur, iudicem illum durum atque inuidioſum fucum dediſſe lectoribus, cum nos exagitando hinc in Graecia a graecis hominibus humana corpora inſecta eſſe temere illis ac ſine vlla veterum ſcriptorum auctoritate perſuadere allaboraret. Non enim de eo diſceptatur, vtrum Graeci poſteriores, maximeque omnium ii, qui Aegyptum incoluerunt, id fecerint, nec ne; id autem quaerimus, an HIPPOCRATIS tempore in Graecia facta ſit minuta quaedam humani corporis laceratio, id quod nunquam credo, vere demonſtrari poterit.

Sed largi ſimus in magnos clariſſimoſque HIPPOCRATIS mei patronos. Secuerit diuinus ſenex corpora humana ad interiores machinae huius receſſus ac penetralia perſpicienda, huiusque ſcientiae vſum in medicinam ipſam deportarit.

Qui

b) Admin. Anat. IX. 5. p. 194. T. IV. ed. *Chart.*

Qui factum est, o cara lepidaque capita, vt magna ista ars omniumque praeclarissima in ipsis incunabulis iugulata quasi vna cum Coo sene misere periret? Vnde ridicula ista *de quatuor venarum paribus descriptio* profecta est, quam tantopere a vero abhorrentem POLYBO, discipulo HIPPOCRATIS et socero, nec haesitanter adiudicant contrariae sententiae patroni? At vero, inquiunt, haec non debentur HIPPOCRATI, quia, GALENO c) teste, ne coquum quidem haec falsissima esse lateant. Audio. Sed vnde haec nostis, o Vos, qui tam strenue librorum Hippocrateorum auctoritatem suscepistis defendendam? Neque mehercle virum probum decet, tam proterue cum veterum monimentis agere, atque alia, quae nobis non satis arrideant, temerario ausu expungere, alia vero vna cum libro suppostititio patienter ferre. Est enim ea in illos, vt nobis videtur, summa iniuria. Sed restant adhuc alia.

Vnde, amabo, descriptiones illae anatomicae naturae haud satis respondentes dimanarunt, quae apud ARISTOTELEM, PLATONEM, aliosque cum medicos, tum philosophos passim occurrunt, cum illi omnino omnes, vt GALENVS d) memoriae prodidit, sua quaeque optima ex his Coi senis monimentis hauserint? Studio certe deditaque opera id genus errores, si meliora ex HIPPO-

c) Comment. in L. Nat. Hom. II. Text. 6. p. 157. sequ. T. III.

d) L. De Vsu Part. I. 8. p. 289. T. IV. et L. Placit. *Hipp. et Platon.* VIII. 5. p. 235. seq. T. V. ed. *Chart.*

CRATE visceratiōnibusque humanis edocti fuissent, nunquam adoptassent. Id enim repugnat et sapientis viri dignitati, et argumenti, quod tractandum sibi sumserant, accurationi.

Sequuntur DIOCLES CARYSTIVS et PRAXAGORAS COVS, quorum alter, teste PLINIO [e]), *post* HIPPOCRATEM *secundus aetate famaque extitit*, alter vero ex *Asclepiadarum* [f]) familia vltimus et HEROPHILI praeceptor; vterque autem, vt CELSVS [g]) perhibet, *sic artem hanc exercuisse dicitur, vt etiam in diuersas curandi vias processerint.* Sed eamus iam per singula.

DIOCLES CARYSTIVS ex GALENI [h]) mente, cuius auctoritati, tanquam firmissimo fulcro, innituntur ii, qui HIPPOCRATEM cadavera humana insecuisse contendunt, *primus fuit, qui de re anatomica scriberet.* Quod si verum est, neque tanto temere refragari ausim oraculo, praesertim cum et alias [i]) aperte doceat, veteres medicos, in primisque HIPPOCRATEM, non seorsim de hac arte scripsisse, sed immiscuisse passim, quae commemoratu digna videbantur, ceteris libris, qui in victu et morborum curatione versarentur, bone deus! quam multa tunc temporis in Coo sene falsa sint necesse est! Vnde, quaeso, amici

e) Hist. Nat. XXVI. 2.

f) *Galen.* L. Dissect. Matric. c. 9. p. 281. T. IV, et L. Method. Medend. I. 3. p. 10. T. X. ed. *Chart.*

g) L. De Medicin. I. Praef. p. 3. ed. *Krauſ.*

h) Administr. Anat. II. 1. p. 47. T. IV. ed. *Chart.*

i) Admin. Anat. II. 1. p. 47. T. IV. ed. *Chart.*

amici, ii dimanarunt libri Hippocratici, qui veram hanc ſecandi corporis viam ac rationem tradunt, et in quorum auctoritate vnice acquieſcitis? Aut enim HIPPOCRATIS vere hi ſunt, aut non ſunt. Si prius verum eſt, omnium ſane bipedum quadrupedumque nequiſſimus GALENVS eſt atque hinc ex merito notandus, qui ad tantum veritatis ſplendorem hebes diuino ſeni omnem anatomes auitae gloriam crudeliter detrahendam, aliisque temere attribuendam exiſtimauit. Sin vero iſti libri, quibus Hippocratea corporis humani ſcientia continetur, nobili hoc nomine indigni prorſum ſunt, tunc ſane vos, o amici ſtrenuique anatomes Hippocraticae defenſores! veſtramque ſortem ex animo doleo. Actum eſt ilicet! Ite exequias. *Nuſquam* eſt *humana anatome* HIPPOCRATIS.

At vero fingamus, DIOCLI CARYSTIO iſtum honorem deberi, quod primus omnium litteris conſignarit id genus diſſectiones humanas, vnde tam miſera praeclarae huius artis facies? Eſt enim manca, illa profecto, lacera, mutila, ſic, vt etiam, an vnquam praeter beſtias cadauera humana inſecuerit, iure meritoque dubitare poſſis, niſi velis cum ANT. PONCIO SANTA-CRVZ k) ſentire. *Anatomes peritia*, inquit ille, *vt aliae artis partes, ab* HIPPOCRATE *incepit. Quae incipiunt, non valent ſtatim vltimam obtinere perfectionem. Ita contingit, vt poſteritas multa adiiciat.*

 Ne-

k) Comment. in *Hipp.* L. de Morb. Sacr. Text. 33.

Neque vero firma et tuta ſatis GALENI fides eſt, cum hac in re coniecturali modo aiat, modo iterum neget, vt eſt hoc in genere omnium veterum medicorum, quos vnquam legi, longe inconſtantiſſimus. Ille enim cum alias [l]) DIOCLI tantam rei anatomicae ſcientiam dediſſet, quantam, dubito, an vlli, iterum paullo poſt ſui tam immemor eſt, vt eum corporis humani ſtructuram vix primoribus quod aiunt, labris [m]) deguſtaſſe audacter adfirmaret. O praeclarum ſummi anatomici elogium!

Idem illud de PRAXAGORA Coo eiusque *anatome* dictum eſto. Hic enim, ſi GALENO [n]) fides ſua conſtat, infeliciter in iſta re verſatus eſt, nec vltra prima eius tyrocinia elatus, ſiquidem ei ſimiliter, vt PHILOTIMO, et placitorum *ἀτοπίαν*, et eorum, quae inter diſſecandum apparent, turpem adſignat inſcientiam. Hinc diutius ei non lubet inſiſtere, modo id vnum prius addiderim, quod PRAXAGORAS apud RVFFVM Epheſium [o]) primus illi venae, quae a iecinore ad renes pertingit, *cauae nomen* impoſuiſſe febriumque exinde originem repetiiſſe fertur. Quod ſi verum

l) L. De Diſſect. Matric. c. 9. p. 281. T. IV. ed. *Chart.* cf. *Plutarch.* Placit. Philoſ. V. 7. p. 905. ſequ. T. II. vbi multae veterum hac de re dubitationes adferuntur: *Macrob.* Somn. *Scip.* I. 6. p. 41. ed. Lugd.

m) *Gal.* l. et p. cit. et L. Vtil. Part. VIII. 12. p. 500. T. IV. ed. *Chart.*

n) L. cit. et L. *Hipp.* et *Plat.* Decret. I. 7. p. 82. et c. 8. p. 84. T. V. ed. *Chart.*

o) L. Appellat. Corp. Hum. Part. I. 33. p. 109. Coll. *Steph.*

verum eſt, et ex viſcerum humanorum contemplatione repetitum, quid, per deum immortalem! iſti in Hippocrateis monimentis nomini faciundum eſt, cum ex philoſophorum decretis nulla res ante poſſit appellari, quam detecta ſit? Sed de iſthac repugnantia videant benigniores illi anatomes Hippocrateae admiratores. Ego enim haec omnia non, niſi ea de re putaui in medium adferenda, vt exinde pateſceret, laceram eam vel poſt magni HIPPOCRATIS fata, illicitam ſine dubio graecis hominibus, adeoque pene neglectam fuiſſe.

At ARISTOTELES, inquiunt, in natura brutorum animantium viſceribusque humanis perſcrutandis conſenuit, adeoque ei facem praeiuit HIPPOCRATES. Aiunt, neque equidem nego, ARISTOTELEM plurimum temporis huic lacerationis generi conſecrare potuiſſe, partim quod plurima hac de re proſtant teſtimonia PLVTARCHI [p]), PLINII [q]), GALENI [r]), AELIANI [s]), ATHENAEI [t]), partim quod ex DIOGENIS LAERTII [u]) fide ſcripſerat libros octo *ἀνατομῶν*, *ἐκλογὴν ἀνατομῶν*, *ἰατρικὰ*, *περὶ τῆς λίθȣ*, alia, quorum partem aliquam ad nos peruenire paſſa eſt temporis iniuria.

Sed pace magnorum virorum, liceat nobis hic iterum diſſentire, auctoritatisque gloriam, quam exin-

p) In Vit. *Alexandr.* p. 689. T. I. ed. *Xyl.*

q) Hiſt. Nat. VIII. 16.

r) L. Diſſect. Matric. c. 9. p. 281. T. IV. ed. *Chart.*

s) Var. Hiſt. IV. 19. p. 110. ed. *Scheff.*

t) Deipnoſ. IX. 13. p. 398. ed. *Dalech.*

exinde in HIPPOCRATEM ipſum redundare cupiunt, vel inuitis iis, funditus deprimere. Male enim rei ſuae conſuluiſſe videntur, qui eodem, quo HOMERVM olim veteres extollebant, modo praeclara quaeuis ex HIPPOCRATE, tanquam promo condo, repetunt, atque hinc quemcunque aliter ſentientem flammis ac igni perdendum dant. Talem ſe prae ceteris praeſtitit ANDR. LAVRENTIVS [u]). ARISTOTELES, inquit ille, *omnia fere, quae de natura animalium ſcriptis mandauit, ab vno didicit* HIPPOCRATE, *cum tamen ingratiſſimus vir eius nunquam meminerit.* Neque minoris videtur eſſe impudentiae, vt Hippocratea firma eſſet anatome, ad ARISTOTELEM, tanquam anchoram ſacram, et teſtem locupletiſſimum, confugere. Fac enim, hunc vere inſecuiſſe humana cadauera, num exinde maior ſit et certior Coi ſenis ſcientia? Equidem vix crediderim, cum et res, et communis vitae ratio poſſint breui a ſe plurimum diſcrepare.

Et quid tunc demum rugarum grauitatisque propugnatorum frons contrahet, ſi, quouis pignore dato, ne ARISTOTELEM quidem vnquam in humanis cadaueribus tempus ſuum, otium, operam, ſtudiumque collocaſſe docuero? Videtur enim hic quoque error famae magni huius philoſophi atque auctoritati deberi: cuius ſplendore ſi ſemel hebetantur oculi, videas haud raro, quae nuſquam ſunt. Ecquis vero noſtrûm hodie tam hebes eſt atque plumbeus, (ſit venia verbo, cum ſimi-

u) Hiſt. Anatom. VIII. Quaeſt. 30. p. 331. ed. Frft.

ſimiliter ſimili in re centies dixerint veteres aucto-res, ſaluo tamen delicatulorum quorundam hono-re) vt, nec a partium ſtudio alienus eſſe velit, et ex coniecturis vnice pendere. ARISTOTELES enim tot tantisque ſubſidiis adiutus in animalium viſcerationibus, tantum abeſt, vt multa praeclare dixerit, vt etiam identidem offendat atque incurrat. Quae, ſi placet, legas apud OL. BORRICHIVM [v]) atque GALENVM [w]) ipſum, quo ἀγύμναςος ἐν ταῖς ἀνατομαῖς diſerte appellatur.

Quod vero ad *anatomen humanam* attinet, in qua omnium maxime verſatus fuiſſe dicitur ARISTOTELES, cur multi ante me medici, in primisque IO. HENRIC. SCHVLTZIVS [x]), du-bii haeſerint, plane non video, adeoque libenter HERM. CONRINGIO [y]) ac DAN. CLERICO [z]) negantibus ex animo adſentiendum eſſe puto. Scriptor enim quisque, quoad eius fieri poſſit, ex ſe ipſo explicandus illuſtrandusque videtur, con-iecturis vero in re tam ardua fides nulla adhibenda eſt. Qua de re cum ipſe ARISTOTELES [a])

F 5 exti-

v) Hermet. Medicin. p. 244. ſequ.
w) Admin. Anat. VII. 10. p. 157. T. IV. ed. *Chart.* cf. *Cleric.* Hiſt. Medic. Part. I. L. IV. c. 4. p. 258. ed. Amſt. 1702.
x) Hiſt. Medic. Per. II. c. 2. §. 12. ſeq. p. 360.
y) Introd. in Vniuerſ. Art. Med. c. 4. §. 15. p. 153. ed. Hal.
z) L. c. p. 264. etſi paullo poſt (Part. II. L. I. c. 6. p. 31.) iterum in caſtra propugnatorum inclinaſſe videtur.
a) Part. Animal. I. 5. p. 481. T. II. ed. *Du Vall.* cf. Hiſt. Anim. I. 16. p. 208. vbi internae hominis partes refe-runtur inter τὰ ἀγνώριςα μάλιςα, alias vero expreſſe dixerat: Οὐκ ἔςι ἄνευ πολλῆς δυσχερείας ἰδεῖν, ἐξ ὧν συνέςηκε τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος.

extiſpicia humana deteſtanda eſſe profiteatur, nec interiorem corporis humani fabricationem ſatis patere, quicquid hoc in genere ſcitu cognituque ſit neceſſarium, ſed ex ſola beſtiarum ſimilitudine repeti oportere doceat, conſequens eſt, vt nihil commodorum atque auctoritatis ex hac philoſophi ſcientia accedere poſſit magno HIPPOCRATI, ſiquidem ea viſcerationis humanae laus ad HEROPHILVM potius atque ERASISTRATVM pertinet, vt CLERICVS [b]) GALENI fide fretus, nec rei veritati temere repugnans, ſatis ſuperque docuit. Abeant igitur et res ſuas agant feliciter IO. RIOLANVS [c]), et ſi qui ſtant ab eius partibus, qui id vnum videntur moliti fuiſſe ſtudioſius, vt HIPPOCRATEM, ARISTOTELEM et innumeros praeterea alios hac in medicinae parte longe verſatiſſimos fuiſſe praedicarent, atque quouis modo extollerent.

At vero diſerte ARISTOTELES ſimilitudidem hominum et brutorum animantium commemorauit. Scio. Sed id genus loci, qui in his philoſophi monimentis occurrunt, aut coniecturis debentur ac vitioſius expreſſi ſunt, aut ab aliena ſaltem manu profecti, ſimiliter vt illa IVLIANI *Diaconi* [d]), CYRILLI *Archiepiſcopi*, ANASTASII, *Doari epiſcopi*, *Presbyteri Indi*, medicamenta apud AETIVM [e]), quae non, niſi male ſedulae monachi

b) Hiſt. Med. Part. II. p. 29.
c) Anthropogr. I. 11. p. 73. ſeq.
d) Ap. *Aët.* Tetrabl. III. Ser. III. 12. p. 555. Coll. *Steph.*
e) Tetrabl. III. Serm. III. 12. p. 555. et Tetr. III. Serm. I. 24. p. 464. Iterum Tetr. III. Serm. I. 50. p. 508. et p. 554 et 555. Coll. *Steph.*

nachi cuiusdam adſiduitati ſuam debent originem? Huc accedit, quod, cum ex iſtorum defenſorum doctrina famae temperandum eſſet, neque haec myſteria viderentur aut temere propalanda, aut inſcienter effutienda, male ſibi ſalutique ſuae certe conſuluiſſet philoſophus, ſi ſacrilegae huius ſcientiae ex hominum viſceribus repetitae notitiam ad vulgi aures peruenire paſſus eſſet. Id vero, ſi quid aliud, philoſophi perſonam cum maxime dedecet. Poterat enim, hoc iugo ſuperſtitionis excuſſo, cuncta corporis humani ſcrutari penetralia, eaque, neglecta nefandae rei huius mentione, litteris diligenter prodere. Quid igitur eum prohibuit, quo minus *interiorum corporis partium poſitum, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem*, et id genus alia naturae humanae appoſite exprimeret? Hac profecto via et ratione cum gloriae ſuae ipſe proſpexiſſet, tum grata poſteritas tantorum meritorum laete meminiſſet. Sed, proh dolor! eius anatome vix vltra beſtiarum cadauera proceſſit, alias enim non in tam turpes grauesque errores incidiſſet, *occiput eſſe vacuum, mulieribus vnam cranii ſuturam, maribus tres a natura datas eſſe, cerebrum omnino vaſis motuque deſtitui, neruos a corde dimanare* cet.

At vero ipſe ARISTOTELES f) τὰ παραδείγματα, et τὰ σχήματα appellat, atque τῆς διαγρα-

f) Hiſt. Animal. I. 17. p. 212. et L. III. 11. p. 237. T. II. ed. *Du Vall.* aliisque locis perquam multis. cf. *Schultz.* Hiſt. Anat. Spec. II. §. 6. et *Io. Riolan.* Anthropogr. I. 12. p. 78.

διαγραφῆς τῆς ἐν ταῖς ἀνατομαῖς meminit. Egregie vero, quaſi nemo diſſectorum et veterum, et recentiorum, imagines partium ad animantium corpora expreſſerit. Quem enim noſtrum fugit, patrum memoria multa exinde *παραδείγματα* ſumta fuiſſe? Nonne maxima anatomicorum cohors, quae priſtinis ſeculis inclaruerant, in beſtiarum lacerationibus ſolis fere acquieuerunt aut ſaltem inuentorum gloriam inde repetierunt? Sunt ex hoc numero, ni fallor, DEMOCRITVS, GALENVS, SEVERINVS, ALDROVANDVS, CASTELLVS, BRONZERVS, PANAROLVS, THOM. BARTHOLINVS, ASELLIVS, HARVEIVS, WALAEVS, PECQVETVS, et noſtra aetate omnium maxime HALLERVS, cui quantum res medica debeat, et, niſi vanus augur ſum, poſt mille ſecula debitura ſit, vel me non monente perſpectum habet optimus quisque. Sed haec de ARISTOTELE hactenus. Non enim huic argumento aliam ob cauſſam immorati ſumus, quam vt quosdam a nimia Hippocrateae anatomes veneratione auocaremus, et ſi fieri poſſit, ad meliorem frugem reduceremus.

Quod ſi nec ARISTOTELES atque recentiores medici viſcerationibus humanis vacauerunt ſic, vt nullus dubitationi amplius locus eſſet, neque RVFFI [g]) ac GALENI [h]) tempora ſic abundarunt cadaueribus, vt ad animantia, ſimias latronum-

g) Appellat. Corp. Hum. Part. I. 2. p. 102. Coll. *Steph.*

h) Admin. Anat. I. 2. p. 27. T. IV. It. L. III. 5. p. 79. et L. VI. 1. p. 128.

numque insepultorum ossa haud raro confugiendum esset, efficitur, nihil HIPPOCRATIS magni auctoritati detrahi, si eum a pleniori curatiorique humani corporis cognitione, nisi omnino rudem, at saltem mediocriter in ea et probabiliter versatum fuisse confeamus.

Taedio profecto iis forem, qui rei litterariae, in primisque antiquitatum medicarum, longe sunt gnarissimi, si, omnium omnino *anatomes Hippocrateae defensorum argumentis* exactius discutiendis, demonstrandum mihi sumerem, quantopere a se ipsi dissenserint hac in doctrina confirmanda. Velim tamen huius rei cupidos prae ceteris ad TRILLERI [i]), viri clarissimi, senisque venerabilis, dissertationem amandatos. Semper enim hic mihi erit magnus APOLLO. A cuius sententia etsi nobis variis de caussis recedendum est, tam grauiter tamen omnia, eaque, qua solet, diligentia, accuratione, eruditione denique summa sibi pertractanda sumsit, vt saepenumero, qua ratione hos laqueos elaberer, vix ac ne vix quidem peruiderem. Ea enim gaudet doctrinae varietate, eaque artis medicae peritia, vt eorum, quos ipse senex hic venerabilis legit adhuc diligentiusque versauit, librorum numerus vix iniri queat. Hinc ei hoc in litterarum veterum et medicinae masculae genere vix quemquam noui parem, superiorem certe neminem. In ista enim scriptione academica, quicquid medicorum clarissimi olim de simili

i) Opuscul. Philol. Med. Tom. I. p. 107. seq. in Diss. *De* HIPP. *Studio Anatomico singulari.*

ſimili argumento diſſimilique fortuna in vtramque partem conſcripſerant, tam bene, vt ſolet, collegit acerrimaque ingenii ac iudicii vi a ſe inuicem diſtinxit, vt facile videas, modo animus ab omni partium ſtudio abſtrahatur, horum defenſorum plurimos in hac demonſtranda humanorum viſcerum ſcientia, qua HIPPOCRATES gauiſus ſit, aut nimium dediſſe GALENI auctoritati, ac minutula quadam vſos fuiſſe diuidendi ratione, aut etiam rem iſtam delicatulam ſane ac errorum feraciſſimam pertractaſſe ſic, vt in eorum argumentis non tuto ſemper liceat acquieſcere.

GALENO enim, vt ſupra vidimus, hac in re nullus honos eſt, nullum pretium. CASP. a REIES [k]) autem ab HIPPOCRATIS partibus ſtetit tam ſtrenue, vt eum primum corpora humana inſecuiſſe audacter perhiberet; id quod et GALENI fidem prorſum tollit, et auitas *Aſclepiadarum* lacerationes infirmat admirabiliter. IO. LANGIVS [l]) in eo argumento, quod a futuris ſe deceptum profeſſus erat HIPPOCRATES, ſibi mirifice placuit, nihilo tamen ſecius id vel ex vulnerum natura, repetendum fuit, vel ex obuiis quibusque latronum inhumatorum capitibus facile perſpiciendum. MOEBIO [m]) vero videntur quaedam enunciationes, tanquam veriſſimae atque extra omnem dubitationis aleam poſitae, quae hoc nomine inſigniendae non ſunt. ASELLIVS [n]), vt

k) Camp. Elyſ. Iucund. Quaeſt. IV. p. 74.
l) Epiſt. Medicinal. L. I. Epiſt. 2. p. 14. ed. Hanov.
m) Fundam. Phyſiol. Med. p. 10.
n) L. De Lactib. c. 6. p. 16. et c. 13. p. 27. ed. Baſil.

vt eo maior eſſet et praeſtabilior inuenti ſui gloria, illudque ab antiquitate fieret diuinius, HIPPOCRATEM ipſum auctorem, ducem, teſtem, appellauit perhonorifice. CAR. DRELINCVRTIVS o) tam mirus Hippocrateorum meritorum laudator et admirator eſt, vt venerationi dediſſe videatur omnia, veritati autem nihil vel admodum parum. LINDENIVS p) vt erat veterum ſcriptorum cultor integerrimus et vir auctoritatis haud ſpernendae, ita etiam humani corporis indagationem vel vltra ipſius HIPPOCRATIS aetatem extendere conatur, in quo an bene reique appoſite verſatus ſit, penes alios, eosque iuſtos antiquitatum medicarum aeſtimatores, eſto iudicium. ALMELOVENIVS q) probationi coniecturali omniumque leuiſſimae, ac mutabili, qualis hepatis ſitus eſt, tanquam firmamento ſtabilitatis, innititur, et nihilo tamen ſecius libros Hippocrateos GALENI loquacitate corruptos miſere fuiſſe profitetur. Similiter ſe geſſerunt IAC. SPONIVS r), MARSIL. CAGNATVS s), PHIL. IAC. HARTMANNVS t), multique praeterea alii, quos iamiam nominare nec licet, nec per partes eundo percenſere placet.

Ex maxima igitur clariſſimorum medicorum diſſenſione, niſi totus fallor, facile colligitur, hanc quo-

o) Praelud. Anatom. p. 8. et paſſim in Opuſcul.
p) Phyſiol. p. 179.
q) Inuent. Nou-Antiqu. p. 218.
r) In Comment. Aph. *Hipp.* Praef. et paſſim in opere ipſo.
s) Obſeru. Var. IV. 10. p. 625.
t) Origin. Anatom. c. 6. p. 40. ſequ.

quorundam doctrinam, qua HIPPOCRATES ex ſedula cadauerum humanorum inueſtigatione optima quaeuis repetiiſſe dicitur, non adeo tutam atque certam eſſe, vt magni noſtri aduerſarii et ſibi, et aliis perſuadere cupiunt. Neque ea opus diſtinctione eſt, vt *ſubtiliorem a ſubitanea, vtiliorem a ſterili* minusque neceſſaria *ſectione* ſeiungamus. Si enim eam in HIPPOCRATE deſideres corporis humani cognitionem, qua noſtra aetate MORGAGNII, HALLERI, MECKELII, NEVBAVERI, LOBSTEINII, alii, omnium oculos in ſe conuerterunt, tunc profecto videremur in priſcorum ſeculorum dignitatem magnorumque virorum merita longe iniuſtiſſimi. Sin vero omnis lis atque diſceptationis momentum in eo verſatur, *vtrum* HIPPOCRATES, *quicquid ſcientiae de corporis humani partibus atque fabrica illius libris continetur, ex intimis cadauerum penetralibus ſollerter deditaque opera hauſerit, nec ne*, tunc ſane non poſſum non plane diſſentire pedibusque in contrariam ire ſententiam. Prohibent enim haec cum gentis ſuae *ſuperſtitio*, quae illo tempore nondum ex omnium animis exciderat, *inſtituta maiorum*, ac *argumenta* reliqua longe *grauiſſima*, quae ſupra leuiter ſaltem attigimus, tum vero vel maxime ii ipſi *loci*, qui *in libris Hippocrateis* paſſim leguntur, et ab aduerſariis, quaſi omni exceptione maiores eſſent, ad pleniorem eius ſcientiam anatomicam defendendam adhibentur, lubrico minusque tuto innituntur firmamento ſtabilitatis, nec opinioni illorum ſatis reſpondent.

Primo

Primo enim *librorum Hippocrateorum integritas non ſatis eſt explicata*, adeoque nec vbiuis licet eorum abuti auctoritate. Quae res etſi aduerſariis omnes ſuas opes eriperet ac propugnacula labefactaret, ſic, vt manus victas dare cogerentur, ſi in oppugnanda hac ſcientiae Hippocrateae parte tam minute philoſophari vellemus, vt multis nuper in *cenſura noſtra* feciſſe videmur; tamen iis, quoniam, hoc pignore dato, certare recuſant, omnia iſta concedere nobis eſt animus. Nolo igitur mihi dari, quosdam libros Hippocraticos non eſſe HIPPOCRATIS. Sint, ſi ita placeat, omnes, omnino aequabiliterque integri ac tanto digniſſimi nomine. Ideone HIPPOCRATES interiorum humani corporis partium poſituram, figuram, ordinem, inſecando perſpexit, quia id genus loci paſſim occurrunt.? Nobis non ita videtur. Qua de re ipſum diuinum ſenem perorantem audiamus, neglecto tamen omni librorum ordine, prout quisque in manus venerit, poſthabitaque magnorum virorum auctoritate, quorum meritis, modo per argumenti veritatem fieri poſſit, nihil vnquam detraham. Qua propter etſi nondum in litterarum bonarum contubernio et ſodalitate conſenuerim, nec videar vlla eſſe nominis gloria conſpicuus; etſi denique medicus ſim ſcilicet, adeoque, vt philologo videtur Gottingenſi, *Dauus*, non *Oedipus*, id vnum tamen velim mihi dent aduerſarii, vt, qua de cauſſa diſſentiam, tuto atque ſine vlla cunctatione pronunciare mihi liceat. Denegauit enim mihi (o me miſerum!) natura illam morum facilitatem animique flexus, vt, veritate aut ſpreta, aut ſal-

tem adulando corrupta, in PYTHAGORAE cuiusdam recentioris auctoritate acquiescam vnice, aut etiam in magistri verba iurando tela hominum aliter sentientium hoc solo: Αὐτὸς ἔφα! retundere allaborem.

Omnium igitur locorum, quae defendendae anatomes Hippocrateae gratia vulgo proferuntur, principem libro περὶ σαρκῶν ἢ ἀρχῶν [u] reperire me memini. Commemoratur enim ibi *humor crystallinus cum in hominum, tum animantium oculis reperiundus.* Ἔστι δὲ ὑγρὸν κολλῶδες. πολλάκις γὰρ ὀπώπαμεν ἐπὶ συῤῥαγέντος ὀφθαλμοῦ ἐξιὸν ὑγρὸν κολλῶδες. κἢν μὲν ᾖ ἔτι θερμὸν, ὑγρόν ἐστιν. ἐπειδὰν δὲ ψυχθῇ, ἐγένετο ξηρὸν, ὥσπερ λιβανωτὸς διαφανής. καὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν θηρίων ὅμοιόν ἐστι. *Humidum vero oculi glutinosum existit. Saepe enim vidimus in oculo rupto exire humorem glutinosum: Et si quidem adhuc calidus fuerit, liquidus est. Postquam vero perfrigeratus est, siccus euadit, velut thus transparens. Atque hoc et in hominibus et in brutis similiter habet.*

Bene haec praeclareque (fateor) omnia, neque equidem nego, praesertim si, quae hunc locum antecesserant, curatius attendas, HIPPOCRATEM, aut quisquis demum huius libelli auctor est, in oculi structura, eiusque tunicis atque humoribus non hospitem atque peregrinum fuisse. Immo vero facile concesserim, eum hac certe descriptione facem praetulisse iis omnibus, qui multis seculis

u) L. De Carn. §. 18. p. 123. T. I. edit. *Lind.*

ſeculis poſt hanc in viam ingreſſi ſunt. At vero hinc nondum ſequitur, Coum ſenem ſtudio dedi-taque opera corporis humani viſcerationes ſuſce-piſſe. Nonne illi, vt erat omnium, qui vnquam fuerunt, ſunt, erunt, medicorum in obſeruando accuratiſſimus atque diligentiſſimus, contingere potuit fabricam oculi ex obuiis quibusque beſtiis intelligere, deindeque haec ad hominem ipſum accommodare? Quid, quaeſo, eum prohibuit, quo minus in viuentium mortuorumque oculos curioſius intueretur, atque exinde maiorem ob-ſeruationi ſuae fidem conciliaret? Ecquod mirum eſt, HIPPOCRATEM, cum ex iſtorum temporum more multus in chirurgiae ſtudio eſſet, oculorum naturam ſedulo inueſtigaſſe? Nec certe eius defuit diligentiae diſcendique deſiderio experimentorum campus, in quo longius exſpatiaretur. Fieri enim facile poterat, vt quis aut per vim et legum au-ctoritatem oculis priuandus eſſet, quale quid ex ZALEVCI Locrenſis inſtituto vſu veniſſe auctor idoneus AELIANVS [v]) eſt, aut etiam eos morbi vehementia praegreſſaque inflammatione in abſceſ-ſum transformari cerneret, id quod, niſi me omnia fallunt, verbis iſtis, συῤῥαγέντος ὀφθαλμȣ̃, ex-preſſerat. *Ingentibus* enim *et variis caſibus*, auctore CELSO [w]), *oculi patent. Qui cum magnam partem ad vitae ſimul et vſum et dulcedinem conferant, ſumma cura tuendi ſunt.* Hinc enim inflammationes, lippi-tudines, tumores, exulcerationes, caligines, ſuffu-

 ſiones,

v) Var. Hiſt. XIII. 24. p. 258. ed. *Scheff.*

w) L. De Medicin. VI. 6. p. 346. ed. *Krauſ.*

ſiones, reſolutiones, et haud raro intus ruptus oculus. *Qui ſi foras iam ruptus procidit*, eodem CELSO [x]) teſte, *ſine auxilio eſt*.

Quae vitia cum tantum non ſemper extrinſecus accidant, atque offendant, externisque abigantur remediis, ſatis mirari nequeo, quid ſit, quod hac de re multi, iique clariſſimi medici HIPPOCRATEM humana corpora inſecuiſſe glorientur. Incidunt enim medici ocularii, quales in primis CELSI [y]), MARTIALIS [z]) atque GALENI tempore perquam multi inclaruerunt, quotidie in id genus morbos: curant inflammationes, vlcerationes, abſceſſus, ſuffuſiones, et ſexcenta praeterea mala, idque haud raro ex artis lege medicorumque formulis, etſi leuiſſimam profecto de oculi natura cognitionem habeant. An ideo ii haec omnia ſic, vt DV VERNEIVS, ZINNIVS, aliique fecerant, ex ipſis humani corporis lacerationibus addidiciſſe cenſendi ſunt? Minime gentium. Imagunculis et beſtiarum oculis ſua quaeuis haud raro debent, adeoque non male colligitur, HIPPOCRATEM oculi fabricationem ſimiliter intellexiſſe, cetera vero tuliſſe fato in acceptis.

Alius locus in libro *περὶ καρδιῆς* [a]) occurrit, quem multis adducere fas eſt. Καὶ τὴν καρδίην ἀποθανόντος, ἥν τις ἐξεπισάμενος τὸν ἀρχαῖον κόσμον

x) L. c. p. 348.

y) L. V. 6. p. 352.

z) L. VIII. Epigr. 74: et L. XI Epigr. 56. et iterum L. XI. 85.

a) L. De Cord. §. 8. p. 292. T. I. ed *Lind.*

κόσμον ἀφελὼν, τὴν μὲν ἀποστερήσει, τὴν δὲ ἐπανακλινεῖ, οὔτε ὕδωρ ἂν διέλθοι ἐς τὴν καρδίην, οὔτε φῦσα ἐμβαλλομένη. *Et si quis veteris eximendi cor animalis mortui, moris gnarus, aliam auferat, aliam reclinet, neque aqua, neque flatus immissus in cor penetrarit* — Quid inde, amici? Fuitne igitur HIPPOCRATES in perscrutanda viscerum internorum natura longe versatissimus? Non ita est, nec ipsi FOESIO b) videtur. Nam ipsa illa verba, ἤν τις ἐξεπιστάμενος τὸν ἀρχαῖον κόσμον ἀφελὼν, videntur mihi, etsi lynceis non praedito oculis, scholam Alexandrinam, aut si mauis, vulgaria sapere extispicia, adeoque non mirum est, si is, a quo libellus iste profectus est, hunc ritum inter omnes constare arbitraretur. Fac vero, HIPPOCRATEM ipsum interna corporis humani viscera sedulo rimatum esse, vndenam iterum, quaeso, perridicula illa et peruetusta ALCAEI c) opinio, quam hisce verbis expressit: Πίνει δὲ καὶ ἐς λάρυγγα, τιτθὸν δὲ, οἷον καὶ ὁκόσον ἂν λάθοι, διὰ ῥύμης ἐσρυέν. *Bibit autem et in guttur ac arteriam, minus vero et quantum latere possit, per rimam illapsum?* Cur in demonstranda

b) L. Not. ad h. l. p. 324. ed. Francof. 1621. vbi haec verba ad *antiquum sacrificiorum ritum* referuntur, *in quo cor eximebatur et aris imponebatur, vt de rerum euentu certior diuinatio institueretur.* Sic *Foësius*, testemque adducit *Galen.* L. Placit. *Hipp.* et *Plat.* II. 7. p. 106. T. V. ed. *Chart.* Sed ibi (fateor) nihil hac de re praeter cordis naturam ex *Chrysippi* sententia legitur.

c) Ap. *Gell.* Noct. Att. XVII. 12. p. 246. ed. *Ald.* et *Macrob.* Saturn. VII. 15. p. m. 559. sequ., vbi paullo aliter locus ille adfertur. cf. *Hipp.* L. h. §. 1. p. 289. T. I.

ſtranda experimentorum veritate ſues, illud pecudum genus ὀκ ἐπιμελὲς, ὀδὲ φιλόκαλον, ipſe appellat, non homines, quas ſaltem mortuos ſimiliter poterat conſulere? Cur denique alio loco [d]) ex diſciſſo mactatorum animantium corde fidem ſibi parare allaborat, neglecta humani corporis mentione? Huc accedit, quod praeter alia multa, quae de cordis fabricatione cum ſollerter lecta reique appoſite dicta ſunt, tum vel maxime deſumta ex animantium cadaueribus, HIPPOCRATES ipſe in eius vaſis etiam τῶν ἀορτέων [e]) meminit, idque paullo poſt per μεγάλην ἀρτηρίην, explicandum putauit. Iam vero bonus GALENVS [f]), cuius auctoritas, incredibile, quantum hac in re multorum faſcinauit oculos, hanc *aortae* gloriam ARISTOTELI demum, non HIPPOCRATI, adſignauit. Adeſte igitur, o vos, qui ſtrenui eſtis Hippocratei nominis vindices! Adeſte atque videte, qua ratione ſint haec omnia inter ſe concilianda. Nam

Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba;
Parcite — nimium procedere; non bene ripae
Creditur.

Sed haec hactenus. Progrediamur ad alia.

Verſatur

d) *Hipp.* L. cit. §. 9. p. 293.

e) L. cit. §. 7. et. 8. p. 292. et §. 9. p. 293. cf. ſi placet, *Foëſii* Oecon. *Hipp.* voc. ἀορτὴ, p. 66. ſeq. vbi variae huius vocabuli ſignificationes rite accommodateque rei explicantur, omiſſo tamen hoc loco, in quo non poteſt non aortae noſtrae reſpondere.

f) L. Art. et Venar. Diſſect. c. 9. T. IV. ed. *Chart.*

Verſatur liber ille Hippocraticus, quem vulgo περὶ ὀςέων φύσιος [g]) inſcribunt, in ordinanda oſſium natura, neque, vt nobis videtur, infeliciter, quippe haec deſcriptio eſt ſatis accurata. Videntur vero haec prae ceteris commemoratu digna: Ἐπίπροσθεν δὲ κατὰ τὸ ςῆθος, χαῦνον καὶ μαλθακὸν τὸ ἄκρον ἔχουσαι, εἶδος ῥεβοειδέςατον τῶν ζώων. ςενότατος γὰρ ταύτῃ ὁ ἄνθρωπος ἐπ' ὄγκων. *Ab anteriore autem parte iuxta pectus, laxam ac mollem ſummam partem habentes, ſpecie prae cunctis animalibus maxime obtorta. Hac enim parte anguſtiſſimam molem homo habet.* Dixit (fatebor enim) HIPPOCRATES, humanam naturam a beſtiis plane abhorrere, proferunturque ibidem in medium κληῗδες περιφέρεες, quae certe non, niſi hominis, ſunt. Sed, pace magnorum virorum, quare hanc ob cauſſam HIPPOCRATES in cadauerum humanorum inueſtigatione totus fuiſſe dicendus ſit, iuxta cum ignariſſimis ignoro. Fac enim, eum inter peregrinandum varia artis miniſteria obiiſſe, et vel ipſos Aegyptios, ſi ad coniecturas lubet confugere, ſcientiae adaugendae gratia adiiſſe, inſecuitne hinc ipſe corpora humana, quia fortaſſe ibidem pollincturae cuidam interfuerat? Adeone occalluiſſe medicorum animos, vt ludicris ſeſe fabulis totos dent, modo quid decoris et ornamenti exinde Hippocrateo nomini acceſſerit? Nouerat Cous ſenex oſſa, eorumque naturam, ordinem, poſitum, quippe haec

 facile

g) L. Off. Nat. §. 5. p. 295. T. I. ed. *Lind.* Ap. *Foëſ.* vero in L. *Mochlic.* locus iſte quaerendus eſt.

facile patent oculis, idque aut ex maleficorum cadaueribus didicerat, quae, vt supra docuimus, insepulta ob facinorum suorum turpitudinem relinquebantur, aut etiam fuisse quandoque casu quodam interiora corporis aperta credibile est. *Interdum enim*, inquit CELSVS h) ex empiricorum mente, *gladiatorem in arena, vel militem acie, vel viatorem a latronibus exceptum sic vulnerari, vt eius interior aliqua pars aperiatur, et in alio alia: ita sedem, positum, ordinem, figuram, similiaque cognoscere prudentem medicum, non caedem, sed sanitatem molientem, idque per misericordiam discere, quod alii dira crudelitate cognouerant. Ob hoc ne mortuorum quidem lacerationem necessariam esse, quae etsi non crudelis, tamen foeda sit, cum aliter pleraque in mortuis se habeant. Quantum vero in viuis cognosci potest, ipsa curatio ostendat.*

Similis ratio loci illius est, quem in libro περὶ Φλεβῶν i) legere me memini. Τὰ κῶλα ἔχει κοινῶς μείζω. ἤρτηται δὲ ἐκ τῶν μεσοκόλων· ταῦτα δὲ ἐκ νεύρων ἀπὸ τῆς ῥάχιος ὑπὸ τὴν γαστέρα. *Intestina crassa homo maiora, quam canis habet. Dependent autem ex mesenterii membrana, quae mesocolon hac parte vocatur. Mesocolon autem ex nervis de spina sub ventrem.* Eadem vero fere verba iterum L. Ἐπιδημ. ϛ΄. k) expressa sic sunt, vt alius ex

h) L. De Medicin. I. Praef. p. 12. ed. *Kraus.*

i) L. De Ven. §. 1. p. 297. T. I. ed. *Lind.* at ap. *Foës.* L. Off. Nat. p. 274. Sect. III. continetur.

k) Epid. VI. Sect. IV. p. 808. T. I. Priori loco habet ed. *Lind.* κοινῶς, similiterque *Foës.* l. c. *Chart.* vero κυνός. At

ex alio ſumtus videatur, niſi quod hic legatur, τὰ κῶλα ἔχει οἷα κυνὸς, μείζω δέ. An quid hoc teſtimonio dilucidius? Neque tamen haec, quae medicorum clariſſimi illi ineſſe putant, vſpiam video, partim quod hoc in loco editiones tantum non omnes, quas adhuc inſpicere nobis licuit, a ſe diſcrepant incredibiliter, et plerumque κοινῶς habent, id quod τῷ ἐπιπολὺ reſpondet, partim quod is, a quo profectus iſte liber eſt, nimius in demonſtranda quatuor venarum origine eſt, in quem errorem, ſi vnquam viſcera humana inſecuiſſet, nullo modo incidere poterat, neque etiam haerere, vnde venarum per corporis anfractus deductarum prima repetenda ſit. Id vnum addidiſſe ſufficiat, libellum hunc poſteriorem, paucis exceptis maculis, quas aut inſcientia offuderat, aut alleuerat incuria, accuratione aetatem Hippocraticam quam longiſſime ſuperare, atque eſſe bonarum rerum feraciſſimum.

Alia in mentem venit *aegri Malienſis hiſtoria*, quae L. Ἐπιδημ. έ. 1) legitur. In qua cum omnis eorum poſita fides, ſpes, auctoritas ſit, qui HIPPOCRATEM viſcera humana indagaſſe perhibent, li-

 ceat

At in L. Epid. leg. *Lind. Foëſ.* et *Chart.* κυνὸς, et conſentit *Galen.* Comm. in h. l. IV. Text. 7. p. 479. T. V. vbi haec omnia dicit ab *Hipp.* εἰς ἀνάμνησιν τῶν ἀνατομικῶν θεωρημάτων ſcripta fuiſſe. Sed addit *Foëſius: Et hic totus locus adeo vitioſe deſcribitur in omnibus exemplaribus, vt Aldini codices aſteriſcum vitii indicem hic apponant.* Vulgaris autem lectio, κυνὸς, quam priori loco inuenias, quamque plurimi virorum doctorum ſequuntur, profecta a *Cornario* eſt.

1) L. Epidem. V. §. 13. p. 778. T. I. ed. *Lind.*

ceat nobis verba ipsa, vt hoc in argumento fas est adducere: Ὁ μαλιεὺς, ἅμαξα αὐτῷ ἐπῆλθε ἄχθος ἔχουσα ἐπὶ τὰς πλευρὰς, καὶ κατῆξε τῶν πλευρέων· καὶ χρόνων αὐτῷ ὑπέστη πύον κάτωθεν τῶν πλευρέων. ὑπὸ τὸν σπλῆνα καυθεὶς, ἔμμοτος ὢν, ἀφίκετο ἐς δέκα μῆνας. ἀνατμηθὲν τὸ δέρμα ὀπὴ ἐφάνη ἐς τὸ δέρτρον ἐπὶ θάτερα ἀφίκουσα. καὶ πρὸς τὸν νεφρὸν καὶ πρὸς τὰ ὀστέα ἐπῆλθε σαπρά. τοῦτο ἥτε σχέσις τοῦ σώματος παρέλαθεν, ἐπίχολος οὖσα, καὶ ἐν τῷ σώματι ἡ σηπεδὼν ξηρὴ τοῦ δέρτρου πολλὴ, καὶ ἄλλων σαρκῶν, ἃς ἔδει αὐτίκα ἐμβάλλειν, εἴ τις ἐδύνατο. ξηρῷ φαρμάκῳ, ἕως ἰσχύν τινα εἶχεν ὁ ἄνθρωπος. ἀπὸ γὰρ τῶν ὑγρῶν οὐδὲν ἐπεδίδου, ἀλλ' ἐσήπετο. ἀπὸ δὲ τῶν μοτῶν, ἰσχομένου τοῦ ὑγροῦ, ῥίγος ἐλάμβανε καὶ πυρετὸς, καὶ ἐσήπετο μᾶλλον. ἐπέῤῥει δ' αὐτοῦ σαπρόν τι, ὑπομέλαν, δυσῶδες. πρὶν δὲ ἐπιχειρέειν ἰητρεύεσθαι, οἷον ἑκάστης ἡμέρης συχνὸν διεπέρα ἔξω. ἦν δ' οὐκ εὔροον. ἐγνώσθη τὸ εἶναι ποῤῥωτέρω τὴν φύσιν τοῦ νουσήματος ἢ ὑπὸ τὸ δέρμα. πάντα ἂν ὀρθῶς πάσχων ὅμως οὐκ ἂν ἐδόκεε σωθῆναι, καὶ διάῤῥοια κἂν ἐπέλαβεν. *Maliensi currus onustus inductus est supra costas, et costas confregit, et per tempus substitit ipsi pus infra costas: Vstus sub splenem penicillis ac linamentis vtebatur, et peruenit ad decem menses. Resecta vero cute, cauerna apparuit ad tenue intestinum vtrinque procedens, et ad renem, et ad ossa procedebat putrida. In hoc non animaduersum est, quod et corporis habitus biliosus erat, et in corpore putredo sicca tenuis intestini multa, et aliarum carnium, quas statim eiicere oportebat, si quis potuisset sicco pharmaco, dum*

dum robur aliquod homo habebat. Nam ab humidis nihil remittebant, ſed putreſcebant: a linamentis vero inditis cum humor ſiſteretur, rigor corripiebat et febris, et magis putreſcebat. Affluebat autem iſthic putridum quiddam, ſubnigrum, graueolens. Priusquam curationis aggreſſio fieret, quotidie multum foras penetrabat. Erat autem non probe fluidum. Cognitum eſt, naturam morbi eſſe magis remotam, quam ſubter cutem. Quod ſi vero etiam omnia recte facta eſſent, tamen non videbatur ſeruari poſſe, etiamſi ventris profluuium ipſum corripuiſſet.

In quo loco tantum ſcientiae anatomicae ſibi reperiſſe videbatur MARSILIVS CAGNATVS m)[m], vt haec omnia diuina prorſum atque ex interiori corporis humani cognitione petita fuiſſe exiſtimaret. Sed vehementer fallitur. Conferenti enim mihi omnem HIPPOCRATIS magni imaginem, qua illud mali genus expreſſerat, id vnum videre videor, inflammationem vehementem, coſtis ex currus pondere fractis, natam fuiſſe, quae tandem in abſceſſum ſinuoſum et intus ruptum tranſiit. Quod pus cum tandem medicus decem menſium ſpatium, cute reſecta, emittere vellet, accidit, vt iuſto ſerius intelligeret, cauernam illam, quam ſibi ſanies haec quaſi per cuniculos fecerat, vim variis viſceribus inferendo, tranſuerſim ad renes et oſſa vsque peruaſiſſe ſummo cum vitae ſanitatisque periculo. Hinc non potuit non ex diutina inflammatione malaque medendi via naſci dira exulceratio, ſubnigri graueolentiſque puris exitus, febris lenta

m) Var. Obſeru. IV. 10. p. 628.

lenta, debilitas ſumma, miſera denique mors. *At quis credat*, inquit MARSILIVS CAGNATVS, *tam immanem in viuo corpore ſectionem factam eſſe, vt abdominis internae partes, et renes, ſeu ex his alter, oculis adſpici potuerit? Debuiſſet enim abdomen inuerti et neceſſe fuiſſet attollere et verſare inteſtina; quam immanitatem, vt viuens aliquis ferre poſſit, ne cogitatione quidem vllus eſt locus!* Quidni illud viuens ferat, mi MARSILI? aut chirurgus animo intrepidus morbo tali quouis modo reſiſtere audeat, ſiquidem, auctore CELSO, *ſummis in malis ſumma tentanda ſunt remedia?* Nonne apud GALENVM n) ſimile pueri malum reperiri memineras, quod et oſſi pectoris acciderat, et omnium fuerat longe periculoſiſſimum? Longe plura certe magisque exitioſa vulnerum genera eum in ſauciis militibus detecta ſunt, tum in Anglorum Gallorumque chirurgorum ſcriptis legere me memini. Haec vero vitia corporis grauiſſima interdum feliciter perſanata ſunt, interdum vero omnem medicamentorum vim ac virtutem eluſerunt, ſiquidem, vt recte olim OVIDIVS,

Interdum docta plus valet arte malum,

aut etiam, vbi morbus iam inueterauit, ſiniſtrum profecto augurium eſt, auctore CLAVDIANO o):

Veteri poſt obruta morbo
Corpora, paeonias nequicquam admoueris herbas.
Vlcera poſſeſſis alte ſuffuſa medullis
Non leuiore manu, ferro ſanantur et igni.

Ne

n) Admin. Anat. VII. 12. p. 161. T. IV. ed. *Chart.*
o) In *Eutrop.* II. v. 11. ſequ.

Ne coeat frustra mox eruptura cicatrix.
Ad viuum penetrant flammae, quo funditus humor
Defluat, et vacuis corrupto sanguine venis
Exundet fons ille mali.

Quare in certissimam spem ingredior, fore neminem, qui hoc in loco praeter externi vulneris curationem eamque ob altiorem mali sedem penitus neglectam, aliquid videat. Idque hisce verbis Hippocrateis edoctus scio, Ἐγνώσθη τὸ εἶναιποῤῥωτέρω τὴν φύσιν τȣ̃ νȣσήματος ἢ ὑπὸ τὸ δέρμα. *Cognitum est naturam morbi esse magis remotam, quam subter cutem.* Incidit enim HIPPOCRATES ex chirurgorum more cutim ad pus et saniem auferendam; Sed specillo mali sedem exploraturus cum altius illud penetrasse animaduerteret, quam vt medicationi amplius locus esse videretur, animum hastamque abiecit, aegri salute desperata.

At vero anatomes Hippocrateae defensoribus telorum abunde est, quae vt prorsum retundas, hoc opus, hic labor est. Nouum enim eius argumentum ex libro περὶ ἄρθρων p) repetitur. HIPPOCRATES vbi humeri luxationem anteriora versus fieri posse pernegarat, haec fere in sententiae suae approbationem, proferenda existimauit. Εἴ τις

p) L. De Articul. §. 1. p. 756. T. II. ed. *Lind.* et iterum §. 43. p. 799: *Foësius* vero ad h. l. p. 781. ed. Francof. 1621. *Humeri articulum, in anteriorem partem an elabatur, non contendit Hippocrates, neque id videre illi contigit*, cet. Vidit vero multipliciter *Galenus* Comment. in h. l. I. p. 303. T. XII. ed. *Chart.* cf. *Vesal.* De Corp. Hum. Fabr. I. 24. p. 58. ed. Bas.

τις τȣ̃ βραχιόνος ψιλώσειε μὲν τῶν σαρκέων τὴν ἐπωμίδα, ψιλώσειε δὲ, ᾗ ὁ μῦς ἀνατείνει, ψιλώσειε δὲ τὴν τένοντα, τὴν κατὰ τὴν μασχάλην καὶ τὴν κληΐδα πρὸς τὸ στῆθος ἔχοντα, φαίνοιτο ἂν ἡ κεφαλὴ τȣ̃ βραχιόνος ἐς τȣ̀μπροσθεν ἐξέχȣσα ἰσχυρῶς, καίπερ ȣ̓κ ἐκπεπτωκυῖα. — περὶ ȣ̃ νῦν ὁ λόγος, ȣ̓δέποτε εἶδον, ȣ̓δὲ εἰς τȣ̀μπροσθεν ἐκπεσὸν· ȣ̓ μὴν ἰσχυριεῦμαι γε ȣ̓δὲ περὶ τȣ́τȣ, εἰ μὴ ἐκπέσῃ ἂν ȣ̃τως, ἢ ȣ̓. *Si quis in brachio supernam humeri partem carnibus denudarit, denudarit autem, qua parte musculus sursum tendit. Nudarit item tendinem, qui sub alis et iuxta clauiculam ad pectus est, opparuerit vtique caput brachii in anteriorem partem, reliquum autem brachii os ad externam partem incuruum — Verum de quo nunc est sermo, nunquam vidi in anteriorem partem elapsum; non tamen affirmarim ne de hoc quidem, an ita excidat, nec ne.* Egregie quidem haec omnia magnique HIPPOCRATIS nomine dignissima; Sed (fateor) quidvis iis potius, quam suetas humani corporis lacerationes inesse puto, praesertim cum teste FOESIO[q]), hoc in libro incredibiliter a se differant veteres codices, adeoque iterum mihi a IO. RIOLANO[r]), HALLERO magno[s]), aliisque viris clarissimis dissentire liceat. GALENVS[t]) enim ipse, cuius fides ceteris videtur hac in re omni exceptione

q) L. cit. p. 781.
r) Anthropogr. l. cit.
s) Praelect. Acad. *Boerh.* Proleg. P. I. p. 24. et pluribus Progr. *Quod corp. hum. secuerit Hipp.* in Opuscul. Anat. p. 136. sequ.
t) Comment. in h. l. I. Text. 4. p. 292. T. XII.

ptione maior, haec omnia *per maciem explorari investigarique posse* perhibet. Didicerat praeterea haec Cous senex, ni fallor, multiplici vsu atque experientia, siquidem apud veteres[u]) moris fuit, varios ab aegris motus exigere: vnde non poterat non commodorum plurimum ad musculorum naturam ac sedem perspiciendam in discentes et chirurgiam ipsam redundare. Ecquis vero est qui haec eadem in HIPPOCRATE accidere potuisse, temere negare audeat?

Neque minus credibile est, HIPPOCRATEM in quaedam humeri vulnera grauiora incidisse, qua in sententia GALENVS[v]) fuisse videtur. Quae cum altius se insinuarent oculisque subtraherent, non dubitauit et suae famae, et aegri saluti prospicere *manu strenua, stabili, nec vnquam intremiscente,* vt chirurgus apud CELSVM[w]) esse debet, *animo intrepidus, immisericors, sic, vt sanari velit eum, quem accepit, non vt clamore eius motus vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.*

Hinc fortasse olim HIPPOCRATES casu fortuito quaedam intellexit similiter, vt GALENVS[x]) multis seculis post, cum communis carbunculorum dirissimorum lues Asiae infensa esset, situm musculorum interiorumque quarundam corporis partium

u) *Galen.* Admin. Anat. I. 2. p. 28. T. IV. ed. *Chart.*
v) L. Placit. *Hipp.* et *Plat.* IX. 4. p. 255. seq. T. V.
w) L. De Medicin. VII. Praef. p. 406. ed. *Krauf.*
x) Admin. Anat. I. 2. p. 28. T. IV.

tium naturam indagauit. Qua de cauſſa ſine dubio meminit ſollerter auferendae eius carnis, quam hodie *muſculum deltoidem* appellant; Hinc ingulum commemorauit, quod *clauiculae* reſpondet, *tendinem muſculi pectoralis*, aliaque quaedam haud ſpernenda, quae HALLERVS V. Cl. bene docuit atque eleganter explicuit etſi, ſi dicendum, quod res *eſt*, illa de *muſculo deltoide doctrina* non adeo certa his verbis contineri nobis videtur, ac GALENVS [y]) ipſe, omni dubitatione poſita, aperte teſtatus eſt.

Neque eo *ſimiarum* confugio opus eſt, quo ad refellendam illius argumenti dignitatem, quod a iugulo repetitur, multi virorum clariſſimorum ſibi cauere ſolent.

Largiamur, haec omnia ex humano corpore ſumta eſſe, quippe, vt alias apud HIPPOCRATEM [z]) eſt, ἑτεροίη φύσις ἀνθρώπε ταύτῃ ἢ τῶν ἄλλων ζώων. Quid inde? Num ideo Cous ſenex in minutula diligentique viſcerum humanorum ſcrutatione totus fuit? Non ita videtur, quoniam illud os inguli et omnium oculis patet, et magna illa ſcientiae pars ex laruali facinoroſorum hominum latronumque habitu nudis oſſibus cohaerente facile fuit comparanda.

Alter locus, quem ſupra ex libro περὶ ἄρθρον adduximus, quique in *vertebrarum luxatione verſus interiora*, eaque omnis medelae experte verſatur, vehe-

y) Comm. in L. De Artic. l. c.
z) L. cit. §. 15. p. 771. ed. *Lind.*

vehementer arrisit IO. RIOLANO ad gloriam HIPPOCRATIS magni extollendam, adeoque audiamus iterum ipsum senem: Ὥστε δὴ ὐδ' ἐμβαλεῖν οἷόν τε ὔτε κατασεῖσαι, ὔτ' ἄλλῳ τρόπῳ τινὶ, πρόδηλον τὸ τοιῦτον, εἰ μή τις διαταμὼν τὸν ἄνθρωπον, ἔπειτα ἐσπασάμενος ἐς τὴν κοιλίην, ἐκ τῦ ἔσωθεν τῇ χειρὶ ἐς τὸ ἔξω ἀντωθέοι, καὶ ταῦτα νεκρῷ μὲν οἷόν τε ποιέειν, ζῶντι δὲ ὐ πάνυ. *Itaque si tale contingat, palam est, quod neque concutiendo, neque alio quodam modo reponi possit, nisi quis dissecto homine, et manu in ventrem iniecta inquisitionem faciat, et ex interna parte ad externam manu retrudat. Atque haec in mortuo quidem fieri possent, in viuo autem non item.* In quo si quis vere HIPPOCRATEM in humanam anatomen incubuisse repererit, per me quidem licet: Ego vero (fatebor enim) tantae perspicientiae non sum, vt mihi id exinde demonstrandum sumam. HIPPOCRATES enim hoc in loco vertebrarum naturam et positum bene expressit, sed haec omnia, vt aut in vulneribus interdum se offerunt, aut in quouis obuii malefici corpore patent oculis. Hinc fastuosorum quorumdam medicorum iactantiam risui expositurus: *Lepidi mehercle estis*, inquit, *atque ridiculi homines, qui cum sitis omnium longe imperitissimi, in id genus luxationibus per lucri turpissimi studium vosmet ipsos datis sibilo excipiendos, irridendos misereque diuexandos. Illud enim experimentum, de quo mirifice ad rudem plebeculam fallendam gloriamini, non, nisi in mortuo corpore peragi et posset, et deberet, si per leges patriaque instituta esset licitum.*

Neque illa quidem verba a) ſunt ſilentio praetereunda: Στενωτάτην πάντων ζώων ἄνθρωπος κοιλίην ἔχει ἀπὸ τȣ͂ ὄπισθεν εἰς τὸ ἔμπροσθεν, ποτὶ καὶ κατὰ τὸ ςῆθος. *Anguſtiſſimum ventrem ex omnibus animalibus homo habet, qaantum ad magnitudinem attinet, a poſteriore ad anteriorem partem, inſuperque etiam iuxta pectus.* Videtur enim diuino ſeni ea diſſectionis via et ratio, quam his promiſſoribus ad exſequendum propoſuerat, nullo modo accommodata ſatis, eamque ob rem prorſum negligenda, neque mehercle tam ardua res eſt, variam pectoris conformationem vel in viuorum corporibus inueſtigare.

At vero RIOLANVS b): Adeone, inquit, impudentiae ac temeritatis proceſſiſſe quosdam medicos, vt ne veterum quidem ſcriptorum teſtimoniis fidem habeant? Quidni haec apud GALENVM c) legi comminiſcuntur: *Maioribus noſtris, Apollini, Hippocrati, Apollonio et ceteris Santonicis, placuit mortuorum viſcera ſcrutari, vt ſcirent, vnde vel quomodo morerentur; hoc autem nobis facere ipſa humanitas prohibet, eo, quod ipſis ſcrutantibus omnia manifeſta atque aperta ſunt.* Lubrica profecto eſſet et omnium longe inconſtantiſſima magni HIPPOCRATIS anatome, mi RIOLANE, ſi id genus teſtibus ſolis niteretur. Male enim (credo) APOLLINEM

a) L. cit. §. 44. p. 800.

b) Cf. Anthropogr. I. 2. p. 31. ſequ. et c. 11. p. 73. ſequ.

c) L. De Nat. et Ord. cuiusque Corp. Part. c. 2. p. 328. T. V. ed. *Chart.*

LINEM imberbem decuiſſet culter anatomicus, neque quid auctoritatis hoc ex teſtimonio diuino ſeni naſcitur, quippe haec ſcriptio et longe recentiſſima eſt, temporum ratione oſcitanter neglecta, et GALENI doctrinae ex aſſe repugnat, qui aliis in libris d) hanc medicinae partem vehementer commendauit, eamque vel ex ipſa ſimiarum e) laceratione hauriendam.

At, inquiunt aduerſarii, aerea hominis tabe confecti ſtatua apud PAVSANIAM f) occurrit, quam APOLLINI Delphico HIPPOCRATES medicus dicaſſe fertur. Scio, haec vulgo ab iis proferri, qui medicinae fata conſcripſerunt, quosque ne per tranſennam quidem quod aiunt, nuper inſpexerat Philologus Gottingenſis g). Alias non tam ruditer et inhumaniter nobis obieciſſet, quae ne in mentem quidem venerant. Ego enim ipſe hoc exemplum, quo vtuntur iſti homines ad demonſtrandam Hippocrateam anatomen, minus tutum ac certum eſſe pronunciaui, neque profecto adeo ridendus videar, vt maleuolo illi ac inuidioſo iudici placuit, ſi LVCIANVM h) teſtem adduxero, videri apud veteres, niſi omnes, at ſaltem multos, eosque ſuperſtitioſos, bonae valitudinis

H 2 gratia

d) L. Vtil. Part. VI. 4. p. 420. T. IV.

e) Admin. Anat. III. 5. p. 76. L. VI. 1. p. 128. L. VII. 10. p. 157. et L. Vtil. Part. XVII. 1. p. 699. T. IV. ed. *Chart.*

f) Phocic. p. 328. gr. et verſ. p. 278. ed. Frft. 1583.

g) L. cit. p. 433. ſequ.

h) Philopſeud. p. 336. ed. *Bourdel.*

gratia positas in domibus statuas HIPPOCRATEM referentes, qualis ei lepide ioculanti Ἱπποκράτης χαλκοῦς est.

Sed redeamus ad PAVSANIAM, cuius verbis, tantum abest, vt ad credendum inducar, vt etiam ne latum quidem a proposito meo recedendum putem vnguem. Primum enim haec omnia rumoribus et famae [i]) debentur, quae, poeta iudice, est

Malum, quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque crescit eundo. —
Tam ficti prauique tenax, quam nuncia veri.

Quid igitur mirum, si harum nugarum auctores, similitudine quadam nominis adhibita, legentium animos alliciant, atque in errorem inducant, sic, vt huius inuenti gloriam ad artificem potius, quam HIPPOCRATEM ipsum pertinere non intelligant? Deinde facta quidem est (fateor) HIPPOCRATIS medici mentio; At vero cum septem saltem apud veteres occurrant viri, qui, vt SVIDAS [k]) et TZETZES [l]) memoriae prodiderunt, nobili isthoc insigniuntur nomine, quis ille sit, a quo ista statua consecrata est, hoc opus, o amici, hic labor est. Quod si aut coniectando fueritis adsecuti, aut saltem probabiliter deduxeritis, non grauabor vobis amplius respondere. Id vnum enim exinde colli-

i) *Virgil.* Aen. IV. v. 174. sequ.
k) In Vit. *Hipp.* ad calc. *Opp. Hipp.* T. II. p. 962. ed. *Lind.*
l) Hist. VII. Chil. 155. ad calc. *Opp. Hipp.* T. II. p. 959.

colligitur, ſtatuam illam Delphicam non, niſi aegro cuidam ex mortis faucibus erepto acceptam ferendam eſſe, qui in valitudinis redintegratae memoriam HIPPOCRATEM quendam aereum curarat efformandum.

At, (o deorum quicquid in caelo regit
Terras et humanum genus!)
Quid iſte fert tumultus? Et quid omnium
Vultus in vnum me truces? ll)

Quid illi ſuſurrus, clamores, atque deteſtationes, quas vndiquaque audio? O te hominem, omnium bipedum quadrupedumque peſſimum! Dii deaeque te omnes perdant, qui in pios HIPPOCRATIS magni manes es iniurius. Noſtine, quae praeclare olim HORATIVS m) cecinit:

Dignum laude virum muſa vetat mori,
Caelo muſa beat?

Adeone te anatomes verae contemtorem, vt vel ipſi HIPPOCRATI hunc honorem immiſericorditer ereptum velis?

Falleris vehementer iterumque falleris, o amice, ſi haec in me cadere vllo modo poſſe cenſeas, aut cum laruis atque vmbris pugnes neceſſe eſt. Eadem enim, quae olim PETRVS CASTELLVS n) id genus contemtoribus reſpondit, iam tibi

ll) *Horat.* L. Epod. Od. 5. v. 1. ſequ.

m) Carm. IV. Od. 8. v. 28. ſequ.

n) Ap. *Paſch.* Inuent. Nou. Antiqu. c. 6. §. 15. p. 350.

tibi meo nomine dicta existimato: *Audiui quendam*, inquit, *insusurrantem: Sordidus est carnifex, non decet grauitatem medicam cadauera tractare. Satis est ex Galeni, Vesalii, et aliorum libris corporum constitutionem discere. Recte quidem! Dicito nunc: Quis est carnifex? Respondebo: Egone qui cadauera seco, an tu, qui occidis viuos? Dic, si Galenus, Vesalius et similes alienis libris contenti fuissent, quos legeremus perfectos anatomicos libros? Asylum est ignorantium vituperare, quod ignorent. Sicut nemo nauta ex libris, ita nemo anatomicus, et consequenter sine oculata anatomes inspectione nemo perfectus medicus.*

HIPPOCRATIS igitur auctoritas et *anatome nulla* est? Minime gentium, sed similiter, vt bene olim GALENVS o): Τὸν Ἱπποκράτην εὑρετήν τε καὶ οἷον πατέρα τῶν δογμάτων τιμήσωμεν. Ἄυτη γὰρ καὶ δικαία τε ἐστιν ἅμα καὶ πρέπουσα τοῖς ὁτιοῦν ἀγαθὸν ἐξευροῦσι τιμὴ, μήτε κατακεκρύφθαι τὰ εὑρήματα αὐτῶν, μητ᾽ ἀγνοεῖσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ᾽ αὐτά τε φαίνεσθαι, τὴν θ᾽ εὑροῦσαν αὐτὰ μέθοδον γιγνώσκεσθαι. οὕτως γὰρ αὐτοῖς καὶ τὸ θαυμάζεσθαι κατὰ τὴν ἀξίαν ὑπάρξει. *Hippocratem inuentorem ac veluti patrem dogmatum venerabimur. Hoc est enim iustum simulque decens praemium eorum, qui quodcunque tandem in vita bonum inuenerunt, vt videlicet inuenta ipsorum non occultentur, neque hominibus sint ignota, sed tum ipsa appareant, tum ratio et methodus, quae ipsa inuenit, cognoscatur. Sic enim et pro dignitate ipsos in admiratione constitui continget.*

Est

o) L. De Respir. Diff. II. 1. p. 246. T. VII. ed. *Chart.*

Eſt vero HIPPOCRATES, per deum iuro! maxima ſane gloria ſummisque encomiis ob peregregia ſua facinora digniſſimus, qui corporis humani naturam, quoad eius per patria inſtituta licuit, diligenter perſcrutando prima verae medicinae fundamenta iecisse perhibeatur. Hinc in eius monimentis memini me legere *hominem, quantus quantus eſt, vaſculis conſtare*, id quod multis ſeculis poſt RVYSCHIVS dilucide aduerſus MALPIGHIVM demonſtrauit; *corpus innumeris gaudere glandulis* p) *iisque per totum corpus diffuſis, quarum natura ſpongioſa ſit, mollis et vaſculis inſtructiſſima, quae ſi diſſecentur, ſuccum album plorent; Cerebrum* q) *proxime ad glandulae naturam accedere, binisque circumueſtiri tunicis* r); *A cerebro dimanare medullam, eiusque eſſe ſine dubio propaginem; Fabricam oculi, maximeque lentis cryſtallinae* s), *eſſe perquam admirabilem; Aurem* t) *inſtructam quodam meatu eſſe, cuius miniſterio aer ad membranam tympani allapſus ſonum gignat;*

p) *Hipp.* L. de Glandul. §. 1. ſequ. p. 414. T. I. ed. *Lind.* cf. L. De Carn. §. 13. p. 119. T. I. et *Trillerus* V. Cl. Diſſ. De *Hipp.* ſtud. Anat. p. 128. Opuſc. T. I. vbi haec omnia praeclare docteque, vt eius eſt mos, explicuit.

q) L. De Glandul. §. 7. p. 418. cf. *Wharton* Adenogr. c. III. p. 18. vbi ſimul haec adſ. quadam adhibita circumſcriptione.

r) L. De Loc. in Hom. §. 5. p. 365. T. I. et L. Morb. Sacr. §. 6. p. 330. T. II.

s) L. De Carn. §. 18. p. 123. et L. Loc. in Hom. §. 5. p. 365. T. I.

t) L. De Carn. §. 16. p. 121.

Cor [u]) *naturam musculi imitari, atque modo laxari, modo iterum stringi, gaudere praeterea binis ventriculis, valuulis, auriculis, munitumque quadam esse tunica, quae rore perpetuo madesiat; Pulmones* [v]) *aspera arteria, quae anulis suis et lingula praedita sit, constare, praetereaque componi vesiculis atque quinque fibris; Lienem* [w]) *vasculis et fibris constare, iisque aranearum telae simillimis; Vesiculas seminis* [x]) *in faui modum vesicae vrinariae accumbere, atque canales illos, qui a rene proficiscuntur obliquos in summam vesicam insinuari; Corpus omne transpirationi patere* cet. Sunt enim id genus placita sexcenta alia, quae si quis nosse penitius velit, adeat, quaeso, LINDENIVM [y]), ALMELOVEENIVM [z]), HALLERVM [a]) MORGAGNIVM [b]), et omnium maxime Illustr. TRILLERVM [c]), atque hinc discat, quanti vel sine

u) L. De Cord. §. 4. p. 289. et L. De Anat. §. 1. p. 287. T. I. cf. *Trilleri* Comment. ad h. l. nec non L. De Ven. §. 27. p. 311. T. I.

v) L. De Anat. §. 1. p. 287. T. I.

w) L. De Carn. §. 9. p. 117. et L. De Ven. §. 27. p. 311. T. I.

x) L. De Ven. l. c. et L. De Anat. §. 2. p. 288. T. I.

y) Physiol. Med. c. 5. Art. 10. p. 135. et passim plurimis in locis hanc Hippocrateae doctrinae praestantiam sibi demonstrandam sumsit.

z) Inuent. Nou-Antiqu. l. c.

a) In *Boerh.* Method. passim et Opusc. Anat. p. 133. sequ. et Prael. *Boerh.* Acad. Proleg. p. 24. Vol. I. cf. *Clerc.* Hist. Med. Part. I. L. III. 3. p. 110. sequ. ed. Amst. 1702.

b) Epist. Anat. I. 88. p. 122.

c) In Diss. cit. et in Comment. ad *Hipp.* L. De Anat. pluribus. Haec enim tota digna sunt, quae attentius legantur

ſine ſollerti viſcerum humanorum inueſtigatione habendus ſit HIPPOCRATES. Facem enim mehercle praeiuit anatomicis patrum memoria noſtraque aetate longe clariſſimis, GALENIS, VESALIIS, FALLOPIIS, EVSTACHIIS, BELLINIS, WHARTONIS, BARTHOLINIS, PEYERIS, RVYSCHIIS, BOERHAAVIIS, aliis, quos omnino omnes per temporis anguſtias perhonorifice nominare prohibemur.

Verſatus eſt, — adeſte, o vos, quorum haec ſcire intereſt, — verſatus eſt Cous ſenex in explicanda viſcerum natura non infeliciter, etſi haec omnia ex ſola animantium laceratione vulnerumque curatione ſumſiſſe cenſendus eſt. In quo etſi piis HIPPOCRATIS magni manibus vim intuliſſe videar, id mihi dabunt (ſpero) iuſti et aequi harum rerum iudices atque arbitri, vt diſſenſionis meae rationes diligenter commemoraſſe nobis liceat. Id enim nec temere nec indicta cauſſa factum eſt, neque profecto eo animo, vt exinde quid detrimenti capiat aut respublica medica, aut ſaltem diuini ſenis auctoritati detrahatur. Ego

H 5 enim,

gantur quaſique ediſcantur, adeoque mehercle *Trillerus* V. Cl. malo aduerſus integerrimos *Hippocratis* magni cultores videtur eſſe animo, cum iis plenam atque omnibus numeris abſolutam librorum Hippocrateorum editionem iuſto diutius ſubtrahat atque quaſi inuideat. Spero enim non ſolum, verum etiam confido, fore, vt omnes omnino interpretes atque commentatores, qui fuerunt, ſunt, erunt, et doctrinae varietate adſequatur, et diligentia ſumma, aſſiduitate, haud incorrupta, denique accuratione incredibili anteceſſoribus ſuis antiſtet plurimum.

enim, ſi quis alius, in veterum ſcriptorum veneratione totus ſum, et quem deus cunque diem aut ſors dederit, perdidiſſe mihi viderer, ſi quem ſine meo HIPPOCRATE praeterire ſinerem. Neque vero adeo meus eſt, vt ille aut omnium omnino errorum expers eſſe videatur, aut etiam ex HELMONTII d) iudicio, *rariſſimi doni vir et adeptorum particeps, cuius induſtriam non tulerint alii.*

Media via, o amici, in extollendis magnorum virorum meritis incedendum mihi eſſe ſemper credidi, ne quid limulis intuerer oculis, aut etiam eorum auctoritati nimis indulgerem. Hinc quo minus HIPPOCRATEM hiſce in rebus offendiſſe intellexeram, eo plus operae, ſtudii, laborisque adhibendum duxi, vt, deuitandis iis erroribus, in quos per iſtorum temporum inſcientiam vel nolens inciderat, et proponendis ad intuendum praeclaris eius facinoribus, medicus tandem (praefiſcine dixerim!) euaderem vere Hippocraticus. Bene enim olim *Iul. Caeſ.* SCALIGER e): *Nihil,* inquit, *infelicius iis ingeniis, quae mordicus ſentiunt, maiores noſtros nihil ignoraſſe.*

At vero iterum multi nobis compreſſis quaſi intra ſe labiis ogganiunt, atque, praeeunte OVIDIO f), identidem ſucclamant:

Quis furor eſt, quae nocte latent, ſub luce fateri?
Et quae clam facias, facta referre palam?

Qui

d) Promiſſ. Auctor. Col. 2. p. 7.

e) Exercit. 306. p. 875. ed. Hanov.

f) Amor. III. Ep. 14. v. 7. ſequ.

Qui ſi HIPPOCRATI anatomes humanae gloriam inuideres, ſatius erat tacere, quam imprudentius nugando eius obeſſe nomini? Factum eſt ilicet, amici! Peccauimus, ſi verum eloqui nefas eſt. Audiatur igitur illud tribunorum plebis: *Veto*, et ſtatim cauſſa cecidimus, modo noſtris iudicibus ita videatur.

Cedamus. Leue ſit, quod bene fertur, onus.

Id vnum adhuc nobis adidiſſe ſufficiat atque verbis MORGAGNII g) magni ſimili in re ſimiliter perorantis vti: *Si qui eam de* HIPPOCRATE *opinionem habent*, inquit, *quam ſi vllo de homine habere liceret, de ipſo in primis habendam faterer, nulla vt defenſione egere, nulli vt ſuſpicioni erroris obnoxium credant, ii poterunt in eius ſcriptis aquieſcere, ſecuri ceterorum. Qui autem illa eo ſunt animo ſumturi, vt, ſi quid forte minus placeat, id reprehendant, hos vero etiam atque etiam rogatos volo, vt ſe tantiſper ab eo iudicio ſuſtineant, dum illi* HIPPOCRATIS *loco reſpondentem in ſcriptione mea locum perlegant. Saepius enim aut ita defenſum, aut ita excuſatum inuenient, vt aut nulla reprehenſione opus eſſe intelligant, aut ſi qua forte, ea certe, quae cum aliqua tamen laudatione ſit coniuncta. Sicubi autem viderint, vero cogente, me ire in alia omnia, non continuo* HIPPOCRATEM *arguant, ſed ſic exiſtiment potius, idem illum facturum fuiſſe, ſi diutius (ſerius) vixiſſet, ſi ſpatio dato plura obſeruare, plura animaduertere, plura etiam legere potuiſſet.*

g) Comment. De Vita et Script. *Valſalv.* p. 21. Opuſc. Medic. P. II.

tuiſſet. Nam quamuis magnus illa tempeſtate Anatomicus fuerit, non ei tamen licebat, quid a poſteris inueniendum eſſet, diuinare. — Ad extremum quicquid diſpliceat, me potius et conſilium meum, non animum reprehendant. Si quid autem forte a me felicius alicubi aut obſeruatum, aut animaduerſum, aut conſtitutum eſſe crediderint, non mihi illud, ſed HIPPOCRATI *ipſi acceptum referant; Qui niſi me olim adoleſcentulum (ſcriptis ſuis) ad haec ſtudia inſtituiſſet, niſi quaerendo praeiuiſſet, obſeruando praeluxiſſet, (adde, niſi alii in eius veneratione nimii fuiſſent, meque aliter ſentientem habuiſſent contemtui) nihil a me horum ſuſceptum eſſet.* Sed de HIPPOCRATIS magni anatome hactenus.



III. DE

III.

DE

MORTIS GENERE, QVO CLEOPATRA PERIIT.



III.

DE MORTIS GENERE, QVO CLEOPATRA PERIIT.

Omnium feminarum, quarum inſignis ſemper apud poſteros erit nominis gloria, maxima certe cenſenda eſt *Cleopatra*, quae vt ceteras longe antecellit aſtutia, faſtu, cupiditate, ſcelerumque turpitudine, modo ſuis ſatisfeciſſe videatur deſideriis, ita etiam tantorum facinorum memoriam cum omni poſteritate adaequauit, praeſertim quia, auctore LVCANO [a]),

Immodice formam fucata nocentem,
Nec ſceptris contenta ſuis, nec fratre marito,
Plena maris rubri ſpoliis, colloque comisque
Diuitias Cleopatra gerit cultuque laborat.

Factum hac de cauſſa eſt, vt et plurimas ſexus ſui ſuperaret ingenio, et, vt fert femellarum leuitas, formae, nimium, quantum crederet, ſi quidem ei fere ſimiliter, vt *Phrynicho* apud PLVTARCHVM [b]), canere licuit:

Σχήμα-

a) Pharſal. L. X. v. 136. ſeq. p. 705. ed. *Burmann.*

b) Sympoſ. VIII. Quaeſt. 9. p. 732. T. II. ed. *Xyl.*

Σχήματα δ᾽ ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ᾽ ἐνὶ πόντῳ
Κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή.

Tot mihi ſubiecit gratas ſaltatio formas,
Hyberna fluctus quot mare nocte daret.

Qua ex re tandem dimanarunt rixoſa repudia, discordiae turpes, digladiationes foedae, clades internecinae, mors denique in carcere miſera. Conſtare enim inter omnes puto, niſi in hiſtoria peregrini ſint atque hoſpites, quantum formae eius pulcritudini acceſſerit ex mellitis ſuauibusque orationis veneficiis ad ineſcandum fallendumque *Antonii* animum. Quae cum minus ferirent *Auguſti* victoris conſtantiam, atque *Cleopatra* regina, irritis ſuis artibus voluptatumque lenociniis, ſeruari ſe triumpho intelligeret, tandem, deſperatis rebus, omnique muliebri metu poſito, *aſpidis morſu*, aut, vt aliis videtur, *veneno ſumto*, mortem ſibi in cuſtodia conſciuiſſe dicitur.

Eſt vero iſta res in tanto veterum ſcriptorum diſſenſu nec inueſtigatione prorſus indigna, cum exinde ſtatuariorum pictorumque error, niſi me omnia fallunt, in exprimendo *Cleopatrae* vultu ſerpentisque ſocietate corrigi facile poſſit, nec etiam medicum omnino dedecet, quippe omnium optime is, ſi quis alius, *de aſpidum natura morſusque vi letifera* iudicare mihi poſſe videtur. Id quod an ego quidem ex veterum ſcriptorum monimentis rite deduxero aut aſſecutus vtcunque fuero, alii me

me longe praeſtantiores atque antiquitatum medicarum magis gnari videant.

Cleopatram, triumphalis dedecoris impatientiſſimam vitaeque pertaeſam, manibus ſibi violentis caedem eſſe machinatam, id eſt, in quo omnes omnino conſentiunt: At vero qua potiſſimum ratione id effecerit, magna adhuc inter auctores lis eſt. Aliis enim, vt PLVTARCHO [c]), DIONI CASSIO [d]) RHEDIO et LANCISIO [e]) cet. videtur hunc ſibi citam mortem ex praeſentiſſimo veneno peperiſſe; alii vero, quorum in numero prae ceteris eminent ipſe ille dubius PLVTARCHVS, HORATIVS [f]), VELLEIVS PATERCVLVS [g]), SVETONIVS [h]) FLORVS [i]), EVTROPIVS [k]), aliique praeter hos multi, illud mortis horrendae genus ab aſpidum morſu repetunt. Idque, quantum equidem video, non iniuria.

Primum enim ii, qui in contrariam pedibus eunt ſententiam, non, niſi coniecturis innituntur. Quibus, ſi alia omnia nos deficiunt, fides ſua et auctoritas deneganda non eſt. At vero in tanta veterum

c) In Vita *Anton.* p. 955. T. I.

d) Biblioth. p. 306. ed. *Steph.* et verſ. p. 278.

e) In *Morgagn.* Aduerſ. Anat. P. III. Epiſt. II. ad *Lanciſ.* p. 22. ſequ.

f) Carm. I. Od. 37. v. 21. ſequ.

g) Hiſtor. Rom. II. 8.

h) In *Auguſt.* c. 17.

i) Hiſt. Rom. IV. 11. p. 227. ed. *Blancard.*

k) Breuiar. Hiſt. Rom. VII. 4.

veterum ſcriptorum turba, quorum aut aetas ipſa in illa *Cleopatrae* tempora incidit, aut qui paullo poſt in ea gente vixerunt, vbi haec geſta fuerant, nefas profecto eſt tam temere diſſentire, atque *venenum, quod ſoporem inferat*, ſimpliciter accuſare, vt LANCISIVS doctrinae oſtentandae cauſſa feciſſe videtur. Etſi enim *Cleopatrae* reginae id genus veneni dirum, teſtibus idoneis DIONE [l]) et GALENO [m]), ſemper ad manus fuiſſe equidem facile largiar, neque negem, dari quaedam, quae diem ſupremum accelerant ſic, vt morte, quaſi ſomno, ſolutus videaris; id tamen nos peruelim huius ſententiae patroni edoceant, vnde certo ſciant, *Cleopatram* eadem ipſa periiſſe ſcientia, quam ſibi, vt PLVTARCHVS [n]) memoriae prodidit, multiplici vſu et experientia in beſtiis atque capite damnatis compararat ad perſpiciendum, qua quodque vehementia et vi quaſi inſita ageret. Deinde PLVTARCHVS [o]) ipſe, cui tantum fidei attribuunt

l) L. cit.

m) L. De Theriac. ad *Piſon.* I. 8. p. 940. T. XIII. ed. *Chart.*

n) L. cit. p. 949.

o) L. cit. Ibi adfert φάρμακα θανάσιμα, quae et ἀνώδυνα, diciturque expreſſe *Cleopatra* regina diſtinxiſſe τὰς ὠκυμώρους τὴν ὀξύτητα τοῦ θανάτου δι' ὀδύνης, et πρᾳοτέρας τάχος οὐκ ἐχούσας, idque tractaſſe quotidie; primas vero dediſſe *aſpidi*, quia eius morſus ſine vlla anxietate ac conuulſione ſaporem grauem torporemque induxerat, (ἄνευ σπασμοῦ καὶ στεναγμοῦ κάρον ὑπνώδη καὶ καταφορὰν ἐφελκόμενον) idque cum molli oris ſudore ſenſuumque ſtupore in ſomni profundi ſimilitudinem! (ἱδρῶτι μαλακῷ τοῦ προσώπου, καὶ τῶν αἰσθητηρίων ἀμαυρώσει, παραλυομένων ῥᾳδίως καὶ δυσχεραινόντων πρὸς τὰς ἐξεγέρσεις καὶ ἀνακλύσεις, ὥσπερ οἱ βαθέως καθεύδοντες.) Cf. ſi placet, *Aelianus* Hiſt. Animal.

buunt opinionis huius auctores, sibi hac in re non satis constat, quippe venenum illud, cuius naturam non satis expresserunt veteres, aut soporiferum fuerit necesse est, aut ab aspidibus sumtum. Iam vero prius nullas vibices adiunctas habere potest, quales in nobili hac femina inuentae sunt, eaeque nec ab vlla vi externa profectae (alias enim *Cleopatra* in venenorum scientia male profecisset;) posterius contra, quod *ab aspidibus* repetitur, *non gustu, sed in vulnere nocet*, vt CELSVS p) litteris reliquit consignatum.

Reliquum igitur est, vt, quare iis ex animo adsentiamus, qui placidam hanc *Cleopatrae* reginae *mortem ab aspidum ictu* deducendam putant, paucis demonstremus. Ad credendum enim atque adfirmandum nos impellunt, tum multae aliae caussae, tum vero maxime expressa veterum scriptorum testimonia. PLVTARCHVS q) enim, etsi dubius quodammodo haesisse videtur in definiendo mortis genere, partim quia in monimento iuxta ANTONIVM sedens *Cleopatra*, peractis precibus, ab homine ignoto ficus, vnaque aspidem accepisse dicebatur, partim quia alii reginam aspida hydriae inclusam ad arduum istud negotium exequendum reseruasse, alii venenum secum habuisse

I 2 con-

Animal. IX. 11. p. 189. ed. *Conr. Gesner.* qui mirifice cum *Plutarcho* consensit, immo vero c. 22. p. 266. circulatoris cuiusdam meminit, quem secundo die post, quam ἰοφόρος aspidis dentes expertus erat, mors placida sustulerat.

p) L. De Medicin. V. 27. p. 309. ed. *Krauſ.*

q) L. cit. p. 955.

contenderant; tamen in re tam dubia et incognita negare non audet, quaedam aſpidis veſtigia (σύρμους τινὰς αὐτοῦ παρὰ θάλασσαν) cubiculo feneſtraeque reſpondentia in littore apparuiſſe. Quod ſi verum eſt, conficitur, beſtiolam illam, ſcelere patrato, feminisque in ſoporem actis, delapſam e manibus clanculum ſe ad littora ſueta cognitaque proripuiſſe.

Cleopatra enim, (erat certe omnium facinorum peritiſſima) primo *tentauit oculos ducis fruſtra*, vt cum FLORO [r]) loquar; deinde ad ferrum confugit. Quod cum ei PROCVLEIVS vna cum reliquis mortis inſtrumentis eripuiſſet, quidni, amabo, quaeuis potius, quam lentum venenum experiri debuit? Tunc enim, quare, vt VELLEIVS [s]), auctor eſt, cuſtodes fruſtrata ſit ad inferendam aſpidem, plane non video. Neque (credo) id vnquam experiri *Cleopatrae* reginae placuit, quoniam et muliebriter viuere didicerat, et viriliter mori. Fas certe eſt illam ſic obiiſſe ſuum diem, quippe, HORATIO [t]) teſte idoneo ac fide digniſſimo, illa

Generoſius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expauit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparauit oras.
Auſa et iacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, et aſperas
Tractare ſerpentes, vt atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior.

Quocum

r) L. cit. s) Hiſt. Rom. II. 87. t) L. cit.

Quocum mirifice consentit et *Cleopatrae* animus vitaeque praegressae ratio, et VELLEII atque FLORI testimonium. Ille enim: *Cleopatra*, inquit, *frustratis custodibus, illata aspide, morsu sane eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit.* Hic vero postquam irritos reginae conatus, quibus *Caesaris* amorem diligenter sollicitarat, multis descripsisset; *Quod vbi desperauit a principe*, inquit, *seruarique se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam, in mausoleum (sepulcrum regum sic vocant) recipit, ibi maximos, vt solebat, induta cultus, in differto odoribus solio; iuxta suum se collocauit Antonium, admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est.* Hinc sane colligitur, *Cleopatram* nec per suam venenorum scientiam potuisse hanc mortis horrendae viam, ex aspidis morsu spernere, cum forsitan hoc auxilii genus iam ad manus esset, atque eius vis pestifera omnium longe praesentissima esse videretur, neque forsitan per vitae taedium voluisse in vno veneno acquiescere, sed vim alterius altero quasi acuisse, vt multorum certe est opinio. Quid enim prohibet, quo minus ab hac femina magna quaeuis, atque indecora facinora maxime in rebus desperatis, fieri potuisse credamus? Nouerat certe *Cleopatra*, qua erat mentis astutia, *Augustum* quiduis sibi potius, quam hanc placidam mortem esse concessurum, sed quam primum facinoris huius nuncius ad eum peruenerit, *Psyllos* vulneri admoturum, vt venenum atque virus mortiferum exsugerent. Nec fefellit, cum id ita euenisse litte-

ris prodiderint DIO CASSIVS [u]) atque SVETONIVS [v]).

Hinc forte nisi multis de caussis prohiberer, quo minus in hanc sententiam ingrederer, facile concederem ad dissensum doctorum hominum auferendum, *Cleopatram* reginam, vtroque veneno hausto, somno correptam placido diem suum obiisse. Talem enim certe eius imaginem in AVGVSTI triumpho gestari post PLVTARCHVM vidit PROPERTIVS [w]). Sic enim ille:

Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.

Hanc vero similitudinem mirifice, si quid video, expressit illud, quod MORGAGNIVS [x]) commemorat: *Cleopatrae morientis simulacrum antiquo opere et summo artificio perfectum. — In ea enim statua aspis est*, inquit ille, *non pectori admota (qua in re pictores scilicet nostri peccant, historiae veritatem, vt Petrus Victorius animaduertit, deserentes) sed ita brachio alligata, vt ipsius vinculi constrictione irritari et ad mordendum prouocari videatur. Accedit in simulacris corporis habitus, vt non tam morientem, quam placide dormientem spectare credas.* O praeclarum artificem! O praeclariorem in iudicanda statuariae artis venustate MORGAGNIVM! Veteres enim, dici

u) Bibl. l. c. p. 306. ed. *Steph.* et vers. p. 278.
v) In vit. *August.* c. 17.
w) L. III. Eleg. 11. v. 53. sequ.
x) Epist. cit. p. 22.

dici vix poteſt, quantopere votis a diis immortalibus expetierint εὐθανασίαν illam ſomno ſimillimam. Hinc EPICVRVS philoſophus

Stygias ebrius hauſit aquas,

et ANTONINVS ex ſcriptorum fide non tam mori, quam placide quieſcere viſus eſt.

Reſtat, vt, quid de *aſpidum* genere ac morſu apud veteres medicos legatur, quam diligentiſſime breuiſſimeque anquiramus, atque hac ratione de mortis genere, quo *Cleopatra* regina periit, fiamus demum certiores. Horrenda ſane illa eſt aſpidum deſcriptio, apud NICANDRVM [y]):

Φράζεο δ' ἀναλέαις μὲν ἐπὶ φρικτὴν φολίδεσσιν
Ἀσπίδα φοινήεσσαν, ἀμυδρότατον δάκος ἄλλων.
Τῇ μὲν γάρ τε κέλευθος ὁμῶς κατ' ἐναντίον ἕρπει.
Ἀτραπὸν ὁλκαίην δολιχῷ μηρύγματι γαςρός.
Ἡ καὶ σμερδαλέον μὲν ἔχει δέμας· ἐν δὲ κελεύθῳ
Νωχελὲς ἐξ ὁλκοῖο φέρει βάρος· ὑπναλέοις δὲ
Αἰὲν ἐπιλλίζουσα φαείνεται ἐνδυκὲς ὄσσοις.
Ἀλλ' ὅταν ἢ δοῦπον νέον οὔασιν, ἠέ τιν' αὐδὴν
Ἀθρήσῃ,

y) Theriaca v. 157. p. 11. ed. *Gorraei.* et. pag. 12. ed. Colon. 1530. cf. *Lucan.* Pharſal. IV. v. 724. p. 292. ed. *Burm.*

Ἀθρήσῃ, νωθρὸν μὲν ἀπὸ ῥέθεος βάλεν ὕπνον,
Ὁλκῷ δὲ τροχόωσαν ἅλων εἱλίξατο γαίῃ,
Σμερδαλεόν δ' ἀνὰ μέσσα κάρη πεφρικὸς ἀείρει.
— — ψαφαρὸς δ' ἀναπίμπλαται αὐχὴν
Ἄκριτα ποιφύσσοντος, ὅτ' ἀντομένοισιν ὁδιταῖς
Ἀΐδα προσμάξηται ἐπιζαμενὲς κοτέουσα. —

Funestam et squamis arentibus aspida diram
Obserua, qua non monstrum est ignauius vllum.
Illa viam recta repens insistit, et aluum
Longam aduersa trahens, directo tramite fertur.
Terrificum visu corpus, quod tarda per ipsum
Voluit iter tractu pigro; semperque putatur
Nictans clausa graui concedere lumina somno.
At simulac vocem vigilantibus auribus hausit
Aut strepitum sensit, torpenti excussa veterno
Contortum corpus sinuosum versat in orbem,
Horridaque in medio dirum caput exserit alte.
— — Cum vero incanduit ira
Et lethum minitans venientibus obuia, saeuit,
Squallida colla tument, et lato sibilat ore. —

Sunt vero *plures diuersaeque aspidum species*, inquit SOLINVS yy), *verum dispares effectu ad nocendum. Dipsas siti interficit, hypnale, quod somno necat, teste etiam*

yy) In Polyhist. c. 27. p. 51. ed. Paris. Sed negat et pernegat *Salmasius*, (Exercit. Plin. p. 341. sequ.) dari tot tamque varias aspidum species, quot multis veterum videntur, quia temere inter se confunduntur.

etiam Cleopatra, emitur ad mortem cet. Hinc apud Aegyptios, vt auctor AELIANVS [z]) eſt, *ſedecim aſpidum ſpecies*, commemorantur, at, ex GALENI [a]), AETII [b]), et PAVLLI mente, reuera non, niſi *tres* ſunt, quarum vna *terreſtris* appellatur, altera *chelidonia*, vel ob riparum conſectationes *aquatica* [c]); tertiae denique *ptyas* nomen eſt, atque colore cinereo, viridi et ad aurum accedente illa cum maxime exſplendeſcit. Huius veneno correptam *Cleopatram* periiſſe PAVLLVS perhibet, neque temere ei refragarer, niſi dira iſta ſymptomata, quae ab AETIO adiudicantur ptyadi, viderentur placidam reginae mortem prorſus tollere. Sed haec obiter, cum omnis res in eo maxime verſetur, *Cleopatrane* ab aſpidum morſu perierit, nec ne.

Quae aſpides etſi forma paullulum a ſe inuicem diſcrepant, tamen, auctore AETIO, *acceſſiones et ſigna communia ſunt in iis, quos aſpides momorderunt.*

z) Animal. Hiſt. IX. 4. p. 187. ed. *Conr. Geſn.*

a) L. De Theriac. ad *Piſon.* I. c. 8. p. 940. T. XIII. ed. *Chart.* et ap. *Paullum Aeginetam* L. V. 18. p. 542. Coll. *Steph.* et ed. gr. p. 166.

b) Tetrabl. IV. Serm. I. 20. p. 621. Coll. *Steph.*

c) Cf. *Lucan.* Pharſal. IX. v. 609. vbi illa certe verba:

Stabant in margine ſiccae
Aſpides, in mediis ſitiebant Dipſades vndis,

de hac ſpecie videntur intelligenda: Symptomata vero *dipſadis* vid. ap. *Lucianum*, L. De Dipſad. p. 824. ed. *Bourd.* Haec enim gignit dolores ἀλήκτους, ἐκκαίει, καὶ σήπει, καὶ πίμπρασθαι ποιεῖ, καὶ βοῶσιν, ὥσπερ οἱ ἐν πυρὶ κάμενοι. cet.

runt. Sed audiamus hac de re DIOSCORIDEM d), qui malorum ab aſpidum morſu oriundorum naturam tam accurate expreſſit, nihil vt ſupra. Τοῖς δὲ ὑπὸ ἀσπίδος δηχθεῖσι, τὸ μὲν δῆγμα ὅμοιον τοῖς ὑπὸ βελόνης κεντήμασι μικρὸν παντελῶς φαίνεται χωρὶς τῆς ἐπάρσεως· καὶ αἱμάτιον δὲ ȣ̓ πολὺ, ἀλλὰ βραχὺ καὶ μέλαν ἀποσάζει. ταχεῖα δὲ ἀμαύρωσις ὀμμάτων καταλαμβάνεται· πόνος τε ὅλȣ τȣ̃ σώματος πολυειδὴς, παντάπασιν ἐλαφρὸς καὶ ȣ̓κ ἄτερ ἡδονῆς παρακολȣθεῖ. διὸ καλῶς ὁ Νίκανδρος πεφώνηκε.

καμάτȣ δ' ἄτερ ὄλλυται ἀνὴρ,

χρόαν ἀτρόπιος καὶ χλοανθής. καρδιωγμὸς ὀλίγος, μέτωπον δὲ συνεχῶς ἀνασπᾶται, βλέφαρα κινȣ̃ται μετὰ ἀναισθησίας ὁμοίως ὕπνῳ· κἄν τȣ́τοις θάνατος συναίρει μηδὲ τρίτον ἡμέρας διαλιπών. *Ab aſpide commorſis vulnus perquam exiguum, quaſi ab adacta acu, citra tumorem conſpicitur. Sanguis non ita copioſus, immo perpaucus, idemque ater extillat; Ac derepente acies oculorum hebetatur, totoque corpore dolor multiplex, ſed omnino leuis, et non ſine voluptate conſequitur. Quapropter recte Nicander cecinit:*

At vir perit abſque dolore.

Color

d) *Theriac.* c. 17. p. 430. ed. *Sarac.* Eſt vero hic ap. *Nicandrum* locus *Theriac.* v. 188. p. 12. ed. *Gorr.* ſimulque adiicitur ad hoc mortis genus vere ſignificandum:

Ὑπνηλὸν δ' ἐπὶ νῶκαρ ἄγει βιοτόιο τελευτήν.

Membra graui tantum pereunt torpentia ſomno.

vbi Schol. p. 13. καμάτȣ δ' ἄτερ, per, χωρὶς δὲ ὀδύνης ἀπόλλυται ὁ ἀνὴρ, at vero νῶκαρ, per ὁ κάρος, ἤγȣν ὁ ὕπνος, οἱονεὶ ἡ τȣ̃ νȣ̃ κάρωσις, explicandum cenſuit. cf. *Paullus* l. cit.

Color minime conſtat, at potius maligne vireſcit: accedit exigua ſtomachi roſio, frons aſſidue reuellitur, palpebrae ſine ſenſu conniuent, veluti vrgente ſomno, atque inter haec, vix interpoſito diei triente, mors ipſa prehendit. Similiter quoque AELIANVS [dd]), PAVLLVS, ACTVARIVS atque AETIVS, niſi vt hic quaedam adhuc morbi ſigna adferantur tum aſpidum communia, *ſtupor, pallor frontis, refrigeratio, aſſidui hiatus, colli inclinatio, capitis grauitas, ſegnities et collapſio in ſomnum profundum, ad finem vero et conuulſio*, tum etiam quaedam ptyadi propria, quae ſunt *caligo oculorum, cordis dolor, faciei tumor ac auditus corruptio, mors tardior cet.*

Huc accedit, quod hoc aſpidum virus ſanari vllo modo poſſe AELIANVS [e]) audacter negat. Praeterea auctor eſt AETIVS, in demorſorum vulneribus *puncta bina* quidem dari, ſi ſint *ab aſpide mare* orta, at vero *quatuor*, ſi *femellae* virulentiae debeantur, idque, quia hoc veneni genus *ὀξύτατον καὶ διαδραμεῖν ὤκιστον* eſt. Quare haec omnia peruelim rite cum PLVTARCHI [f]) verbis conferas,

dd) Hiſt. Animal. IX. 11. p. 189. vbi dicitur *τὸ τῆς ἀσπίδος δῆγμα πρᾳότατον*, idque *Cleopatra* teſte.

e) Hiſt. Animal. II. 6. p. 27. ed. *Geſn.* cf. L. IX. 61. p. 206. vbi ſimiliter, vt apud ceteros auctores, veneni huius natura, duo morſus puncta et aſpidis in littore veſtigia commemorantur.

f) L. cit. cf. Schol. *Nicandri* p. 12. vbi *τὸ ἀμυδρὸν*, quo ſimili in re vſus *Nicander* eſt, explicandum putat partim per *ἀσθενὲς*, partim etiam per *εὐκίνητον καὶ χαλεπὸν*, idque *Demetrio* ac *Archilocho* teſtibus.

ras, qui *Cleopatrae* reginae brachium binis punctionibus tenuibus exilibusque (δύο νυγμὰς λεπτὰς καὶ ἀμυδρὰς) interstinctum, imaginemque eius sic expressam, aspide alligata, et in triumpho simul prolatam ab *Augusto* fuisse perhibet. Quocum etiam satis conueniunt AELIANVS atque DIO CASSIVS[g]), qui κεντήματα λεπτὰ περὶ τὸν βραχίονα αὐτῆς (*puncturas exiguas in brachio eius*) inuenta esse auctor est. Quare huc non male accommodes illud PHAEDONIS apud SENECAM[h]): *Minuta quaedam animalia,* inquit, *cum mordent, non sentiuntur, adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est. Tumor indicat morsum, et in ipso tumore nullum vulnus apparet.*

Fallitur hinc vehementer PAVLLVS[i]), cum GALENI auctoritate, nescio, qua fretus, mammae sinistrae serpentem admotam fuisse perhibet. Nusquam enim in libris Galenicis haec reperire mihi licuit, adeoque haec sine dubio rumore ad PAVL-

g) Bibl. L. 51. p. 306. ed. *Steph.* et vers. p. 278. vbi varia hominum hoc de mortis genere iudicia multis enarrantur, quorum alii eam ex aspidum veneno repetebant, alii vero ab *acu, qua capillum componere solita esset, eaque veneno inuncta, cuius ea fuerit natura, vt cum corpori alias nullum damnum iniungat, vbi primum tamen sanguinem vel minimum attigerit, mortem et celerrimam, et absque omni dolore adferat* cet. Facta vero haec omnia sunt *Epaphroditi* eunuchi negligentia, qui *Cleopatram* quam minimo dolore diem supremum obire voluerat.

h) Epist. 94. p. 395. T. II. ed. Lips.

i) L. De Re Med. V. 18. p. 542. Coll. *Steph.* et p. 166. ed. gr. Basil. 1538.

PAVLLI aures peruenerunt. Neque vero *Caesar* de *Psyllis* profecto cogitasset, nisi id genus vibices serpentum morsus portendissent. Caue tamen, ne hisce artificibus hanc veneni sugendi artem propriam quasi ac familiarem fuisse censeas. *Neque hercules*, inquit CELSVS k), *scientiam praecipuam habent hi, qui Psylli nominantur: Sed audaciam vsu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, vt quaedam etiam venatoria venena, quibus Galli praecipue vtuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tuto estur: ictus eius occidit, et, si stupente ea (quod per quaedam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ea saliua noxa est. Ergo quisquis, exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit, et ipse tutus erit, et tutum hominem praestabit. Illud interea ante debebit attendere, ne quod in gingiuis palatoue, aliaue parte oris vlcus habeat.*

Quibus se ita habentibus, facile ad perspiciendum est, quare LVCANVS l) dixerit *aspida somniferam*,

k) L. De Medicin. V. 27. n. 3. p. 309. ed. *Krauf.* Cf. si placet, *Plin.* Hist. Nat. VII. 22. et L. VIII. 25: *Ammian. Marcellin.* XXII. 15. p. 358: *Reines.* Var. Lect. I. 8. p. 26.

l) Pharsal. L. IX. v. 701. p. 661. ed. *Burm.* vbi plura de variis serpentum generibus. Cf. *Marckland.* ad *Statium* Silv. III. 2. v. 119. vbi ille sic dixerat:

> *Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno*
> *Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.*

Inprimis vero *Salmasium* ad *Solinum*, ni fallor, p. 541. sequ. ed. *Sarac.*

feram, et quo prae ceteris mortis genere perierit *Cleopatra*.

At vero, inquiunt aduerſarii, nonne eadem mortis veſtigia ab quocunque veneno, quod ſoporem inducit, repeti atque oriri poſſunt? Minime gentium. Multis enim prohibemur cauſſis, quo minus huic opinioni temere adſentiamus. Venena enim, quae hoc nomine apud veteres male audiunt, prae ceteris ſunt, DIOSCORIDE m) teſte, *hyoſcyamus* n), *colchicum* o), *ſolanum maniacum*

m) Alexipharm. p. 401. ed. *Sarac.*

n) *Dioſcorid.* Lib. cit. c. 15. p. 407. vbi effectus eius *mentis alienatio, qualis ex ebrietate eſt.* Cf. et *Cael. Aurel.* Acut. Morb. I. 4. p. 16. ed. *Ammon. Oribaſius* Medicinal. Collect. *XI.* 1. p. 447. Coll. *Steph.*: *Galenus* L. Simpl. Medic. Facult. p. 238. T. XIII. VIII. 20. Tres autem ſunt eius ſpecies, L. Mater. Medic. IV. 69. p. 269. quarum binae *inſaniam et ſoporem* inducunt, tertia *mitiſſima et in maritimis ruderibusque eſt.* Cf. *Nicander* Alexiph. p. 158. ed. *Gorraei. Aët.* Tetrabl. IV. Serm. I. c. 67. p. 644. Coll. *Steph.* vbi *iactatio corporis cum diſtentione, exſolutio animi deliquio ſimilis, oculorum rubor, pruritus, tremor*, cet. Similiterque ap. *Xenophontem* Oeconom. οἱ τὸν ὑοσκύαμον φαγόντες παράπληγες dicuntur.

o) Appellatur etiam *ephemerum*, cuius diriſſimos effectus ad viuum depinxit *Nicander* Alexiph. p. 146. formam vero, vt ſolet, *Dioſcorid.* Mat. Med. IV. 84. p. 278. et ſedulo diſtinxerunt *Paullus* (L. De Re Med. VII. 3. p. 621. Coll. *Steph.* et *Oribaſius* Medicinal. Collect. XI. p. 423.) Sunt vero ſigna veneni huius, auctoribus *Dioſc.* (Alexiph. c. 5. p. 404.) *Aëtio* (Tetr. IV. Serm. I. 57. p. 642.) *Scribonio* Largo (De Compoſit. Medicament. c. 61. p. 226. Coll. *Steph.*) *pruritus in ore omnique corpore, qualis vrticae aut ſquillae eſſe ſolet, eroſio ſtoma-*

eum p), *aconitum* q), *mel Heracleum* r), *pſyl-lium*

ſtomachique aeſtus, *adiuncta grauitate*, malo vero aggraueſcente, *ſedes* etiam *cruentae.*

p) *Solanum maniacum* ſ. *Dorycnium* ap. *Dioſcorid.* Mat. Med. IV. 74. p. 272. et Alexiph. c. 6. p. 405. ed. *Sarac.* partim in varias ſpecies diuiditur, partim etiam temere negligitur. Quam diſſenſionem quomodo ſuſtulerit *Saracenus*, vide p. 127. *Nicander* certe, (Alexiph. p. 154.) cuius deſcriptio eſt omnium elegantiſſima, illud et colore, et ſapore lac retuliſſe perhibet, eius vero vim ſoporiferam opio mitiorem *Dioſcorides.* Cf. *Aët.* Tetr. IV. Serm. I. 58. p. 642. *Paullus* (L. De Re Med. VII. 3. p. 619.) et *Galenus* L. Simpl. Medic. Facult. VIII. 15. p. 237. T. XIII. ed. *Chart.* Sequuntur eius hauſtum *ſingultus continui, linguae mador*, aut potius, vt ap. *Paullum* in cod. *Ald.* et ap. *Nicandrum* eſt, *ſiccitas*, *vomitus*, et *ſanguinis profuſio vehemens*, *crebra deſidendi cupiditas*, *tormina*, *aluus mucoſa*, qualis *dyſentericorum* eſt, cet.

q) Ap. *Dioſcorid.* (Mat. med. l. c. p. 275. et Alexiph. c. 7. p. 405.) male audit ob *vertiginem*, *oculorum lacrumationem*, *pectoris* et *praecordiorum grauitatem*, quibus ab *Nicandro*, (l. c. p. 129.) *Scribonio Largo*, (Compoſit. Medicam. c. 56. p. 225.) *Aëtio*, (l. c. c. 59. p. 642.) et *Paullo* (L. De Re Med. VII. 3. p. 612.) adduntur *oris gingiuarumque conſtrictio*, *roſio ſtomachi*, *dolor laterum et inteſtinorum crudelis*, *ructus*, *tormina*, *grauitas capitis*, *temporum tremor*, *viſus hebetudo rerumque ſpectabilium duplicatio*, et ſi diutius malum ſubſtiterit, *tremor totius corporis*, *titubatio*, *qualis ebriorum* eſt, *ſenſuum obnubilatio*, *inflatio per omne corpus diffuſa* cet. Cf. ſi placet, *Oribaſ.* Medicinal. Collect. XI. p. 451. vbi ſpecies omnes deſcribuntur, et praeterea *Plutarchum* (in Vit. *Anton.* p. 937. T. I. ed. *Xyl.*) vbi herbae ſimilis ſimilem ſcenam ad viuum expreſſit, quam legiſſe poenitebit puto neminem

r) Ap. *Dioſcorid.* Alexiph. c. 8. p. 406. illud ſimiliter, vt aconitum, et manifeſtari, et curari dicitur.

lium [s]), *coriandrum* [t]), *taxus* [u]), *carpasi succus* [v]), *sardonia*

s) *Dioscorid.* Mat. Med. IV. 70. p. 270. eius formam et imaginem dedit, eique attribuit vim refrigerantem, similiterque *Paullus* (L. De Re Med. VII. 3. p. 646.) et *Oribas.* (Collect. Med. XI. p. 450.) cet. At vero *Dioscorid.* Alexiph. c. 10. p. 406. eodem modo, quo *Aëtius*, (l. c. c. 62. p. 643.) atque *Plinius* (Hist. Nat. XXV. 11.) eius potionem sequi adfirmat *torporem totius corporis, anxietatem animi, resolutionem* cet.

t) *Dioscorid.* (Alexiph. c. 9. p. 406.) cf. *Galen.* L. Simpl. Medic. Fac. VII. 43. p. 194. T. XIII. ed. *Chart.* vbi *Dioscorides* emendatur. *Scribonius Largus* (Compos. Medic. c. 53. p. 224.) *Aëtius* (l. cit. c. 61. p. 643.) *Paullus* (L. De Re Medic. VII. 3. p. 628.) qui omnes omnino post eius haustum sequi dicunt *foedum plantae huius odorem exspirationibus iterum redditum, raucitatem, insaniam ebriorum simillimam, blaterationes impudicas*, quibus *Nicander* (Alexiph. p. 140.) prorsus adsentit.

u) Imaginem eius dedit *Dioscorides* Mat. Med. l. c. c. 80. p. 276. Cf. *Paullus* (L. De Re Med. VII. 3. p. 641. Coll. *Steph.*) Varia autem apud varios eius est appellatio, quam nunc non lubet amplius anquirere, cum non huius loci sit. A *Plinio* enim (Hist. Nat. XVI. 10.) *baccae*, et a *Plutarcho*, ni fallor, in Symposio, et *Dioscoride* ipso, *vmbra letifera* dicitur. Inducit vero *frigus totius corporis, suffocationem, mortem celerem*, in quo *Dioscorides* prae ceteris consentientem habet *Aëtium* (l. c. c. 64. p. 643.) Immo vero *Caesar* (De Bello Ciuil. VI. 31.) auctor est idoneus, *Catiulcum, regem dimidiae partis Eburonum, taxo, cuius magna in Gallia Germaniaque copia est, se exanimauisse.*

v) *Succus Carpasi*, cuius *Dioscorides* (Alexiph. c. 13. p. 407.) et *Aëtius* (l. c. c. 65. p. 643.) meminerunt, inducit *soporem grauiorem, sensuum hebetudinem sine vllo dolore, sudores ac repentinam strangulationem cum exitioso saniei reiectu.*

ſardonia herba w); *ſimiliter pharicum* x) *toxicum* y), *ixias*

w) Commemorarunt eam *Dioſcorides* (Alexiph. c. 14.) et *Aëtius* (l. c. c. 66.), eiusque ſigna ſunt, *mentis alienatio, conuulſiones cum rictu oris ac labiorum*, (hinc enim *riſus Sardonius* nomen accepit) atque demum *mors praeſentiſſima*.

x) *Pharicum* refertur ab *Aëtio* inter medicamenta ſimplicia, ſed a *Scribonio Largo* (Compoſit. Medicin. c. 63. p. 226. Coll. *Steph.*) *dicitur ex compluribus componi guſtumque habere nardi*, quocum fere conueniunt *Dioſcorides* (Alexiph. c. 19. p. 409.) atque *Nicander* (l. c. p. 157.) Cuius deſcriptio cum omnium optime referat ea ſigna, quae a poto pharico naſcuntur, liceat nobis verba eius ex *Gorraei* verſione adducere.

Nec vero pharici potus (tam certa videntur
Signa) latere poteſt, quod ſenſu torquet acerbo
Maxillas, nulloque ſapit diſcrimine nardum.
Perturbat mentem, tremebundaque membra reſoluit,
Et patitur miſeros lucem non amplius vnam
Viuere.

Cf. *Salmaſ.* ad *Solin.* p. 241. ſequ. vbi multis hoc de medicamento diſſeritur.

y) *Toxici* meminerunt *Dioſcorides* (Alexiph. c. 20. p. 409.) *Scribonius Largus* (l. c. c. 62. p. 226.) *Aëtius* (l. c. c. 70. p. 645.) omniumque optime *Nicander* (l. c. p. 143.), cuius verba, quia omnem ſignorum faciem exprimunt, relictis reliquis, hic potiſſimum adducamus. A toxici enim potu

Lingua homini inflatur, diſtentaque labra tumorem
Circum ora attollunt, et magna mole grauantur.
Ore ſpuit ſicco, rimis gingiua fatiſcit.
Horror ſaepe quatit trepidantia corda: furore
Exundat diro mens exagitata veneno.
Balanteis imitatur oues et mille furores

ixias z), *mandragoras* a), *ſuccus papaueris* ſeu *opium*

> *Concipit, exclamat, feruenti vt concitus ira,*
> *Cui vitale caput violentus ademerit enſis:*
> *Aut veluti cui templa Rheae et libamina curae*
> *Aeditua, in plateas, nona quando luna reuertit,*
> *Fertur, et Idaeos campos vlulatibus implet;*
> *Tum trepidi horreſcunt, audita voce, bubulci;*
> *Sic miſer in rabiem verſus fremit ille rugitque,*
> *Et torua, in morem taurorum, lumina torquens,*
> *Exacuit dentes et ſpumam fundit ab ore.*

Cf. ſi placet *Saracenum* in Schol. ad h. l. *Dioſcoridis* p. 128. vbi diſſenſus ratio, quoad pharicum, prorſum diluitur, adduciturque in rei auctoritatem *Nicandri* Scholiaſtes p. 59. ed. *Gorr.* at ed. Colon. 1530. p. 77. ſeq. Sed (fateor) nuspiam auctorum, quos citat, nomina adhuc inuenire potui.

z) *Ixias* commemoratur ab *Dioſcoride*, (Alexiph. c. 21. p. 409.) *Aëtio* (l. c. c. 71. p. 645.) et *Scribonio Largo*, (l. c. c. 60. p. 225.) eiusque ſigna ſunt, *vehemens linguae inflammatio et tumor*, *mentis alienatio*, *inteſtinorum murmura ac rugitus*, *aluus nulla*, *animi deliquium* cet.

a) *Mandragorae* varias ſpecies memorant *Dioſcorides* (Mat. Med. IV. 76. p. 273. it. Alexiph. c. 16. p. 408. atque *Oribaſius* Collect. Medicin. XI. p. 427.) eius vero vires *Paullus* (L. De Re Med. VII. 3. p. 632.) Symptomata haec eius potionem ſequi dicuntur, *ſopor*, *exſolutio*, *vehemens veternus* (καταφορὰ ἰσχυρὰ κατὰ μηδὲν διαφέρουσα πάθους τοῦ λεγομένου ληθάργου) *vocis amiſſio*, quibus ab *Aëtio* (l. c. c. 68. p. 644.) adiiciuntur *languor*, *moeror*, *refrigeratio*, interdum *mentis perturbatio*, quid? quod ab immaturis omnia peiora dicuntur accidere, *ardor circa corporis ſuperficiem*, *linguae orisque ſiccitas*, *oris hiatus fortisque aeris reciprocatio*, tandem *conuulſio* atque *mors*. Cf. *Theophraſt.* Hiſt. Stirp. IX. 9. p. 179. ed. *Heinſ.* et *Plin.* Hiſt. Nat. XXV. 13.

opium b), denique *cicuta* c) ipſa, quam ex Athe-

nienſium

b) Variae ſunt *papaueris* ſpecies, quas omnes *Dioſcorides* (Mat. Med. IV. 64. p. 265.) rite a ſe inuicem ſeiungendas exiſtimauit. Cf. Alexipharm. c. 17. p. 408. Inducitur autem eius potione, vt *Aëtius*, (l. c. c. 69. p. 644.) *Scribonius Largus* (l. c. c. 48. p. 223.), aliique teſtes idonei perhibent, *veternus, qualis ex mandragora naſci ſolet, refrigeratio, pruritus vehemens, oris hiatus, nariumque diſtorſio, labrorum tumor, ſingultus, praecordiorum diſtentio, reſpiratio parua, et frigida, pallor, liuor vnguium, ad finem conuulſio, denique mors.* Haec omnia ſic *Nicander* (Alexipharm. p. 159. ed. *Gorr.*) expreſſit naturae perappoſite:

Foecundi lacrymam quicunque papaueris hauſit,
Hunc ſopor altus habet, glaciali frigore ſummi
Torpeſcunt artus, nec lumina caeca recludit,
Commiſſis ſed vincta genis immota tenentur.
Vndique permulto corpus ſudore grauique
Extillat, pallet facies, ſunt feruida labra;
Vincula malarum ſoluuntur, anhelitus imo
Exiguum frigensque ſimul ſpiratur ab ore.
Saepe etiam obtortae nares vel liuidus vnguis,
Aut oculi ſunt certa caui praeſagia mortis.

c) *Cicuta* etiam apud veteres infamis atque famoſa eſt, eiusque meminerunt *Dioſcorides* (Mat. Med. IV. 79. p. 276. et Alexiph. c. 11. p. 406.) *Scribonius Largus*, (Compoſit. Medicament. c. 47. p. 223.) *Plinius*, (Hiſt. Nat. XXV. 13.) *Galenus*, (L. Quod animi mor. corp. temp. ſequ. c. 3. p. 448. T. V. ed. *Chart.* et paſſim alibi) *Aëtius*, (l. c. c. 63. p. 643.) *Oribaſius*, (Collectan. Medicinal. XI. p. 425. Coll. *Steph.*) *Celſus*, (L. De Medic. V. 6. p. 245. ed. *Krauſ.*) aliique innumeri, quos omnes adferre nec lubet, nec opus eſt. Videtur vero illud *prouiſum pridem venenum*, quod *Tacitus* (Annal. XV. 64.) memorat, ſine dubio *cicuta* eſſe. Horrenda profecto plantae huius peſtiferae ſigna ſunt, *vertigo, caligatio*

nienſium lege bibendam ſumſit SOCRATES, cuius exinde mors tam placida fuit, vt deſcriptionem eius apud PLATONEM d) omnibus iis velim commendatiſſimam, quorum intereſt ſcire, veterum cicuta ſatis noſtrae reſpondeat, nec ne.

Sed nec omnibus aequale virus ineſt exitioſum, aut ſaltem ſomniferum, nec ſatis haec cum iis ſignis conueniunt, quae in *Cleopatra* moriente vſu veniſſe

gatio oculorum vehemens, ſingultus, mentis alienatio, ſumma extremarum corporis partium refrigeratio, ſegnities, timor, ſuffocatio, liuor, conuulſio, miſeraque ex reſpiratione intercluſa mors. Hinc iterum bene *Nicander*, (Alexiph. p. 141.) ingenioſiſſimus ille naturae perſcrutator veriſſimusque in tam peſtiferis euentibus atque ſignis exprimendis artifex. Sic enim ille de cicuta:

Haec primum tentat caput et caligine denſa
Inuoluit mentes; oculi vertuntur in orbem:
Genua labant. Quod ſi cupit ocyus ire, caducum
Suſtentant palmae corpus, fauceſque premuntur
Obſeſſae, et colli tenuis praecluditur iſthmus.
Extremi frigent artus, latet abditus imis
In venis pulſus, nihil inſpiratur ab ore.
Fata inſtant, Ditemque miſer iamiam adſpicit atrum.

d) In *Phaedon.* p. 117. T. I. ed. *Steph.* Commemorantur ibidem multa, quae ad cicutae naturam intelligendam haud contemnendi momenti ſunt, praeſertim vero p. 63. ab veneni huius artifice atque cuſtode requiritur *parca confabulatio, ne calor inde naſcatur, aut venenum bis terue repetendum ſit;* portione autem ſumta, *ambulare licet, donec quaedam pedum grauitas accidat,* tunc *requies, refrigeratio, mors.*

veniſſe inter omnes conſtat. Quae ſi rite perpenderis, vincitur, *Cleopatram non ex veneno ſumto, neque ex cicutae virulentia*, tam placide obiiſſe, vt multis videtur, praeſertim cum iſta venena, quae adhuc in medium duximus proferenda, auctore DIOSCORIDE [e]), ſimiliter ac diſſimiliter agant, neque vllum eorum mortem doloris expertem, placidam, ſomnoque ſimillimam acceleret.

Soli igitur *aſpidum morſui* haec accepta ferenda ſunt, ex cuius veneno, vt GALENVS [f]) litteris reliquit conſignatum, repentina mors euenit. Neque vero id amplius facile neges, ſi memineris, illud mortis genus et hiſtoricorum fidei medicorumque veterum placitis accomodatum ſatis eſſe, et abunde reſpondere *Cleopatrae* reginae moribus. Quam enim facile eſt reginae tot ſtuprorum caediumque gloria inſigni, ac in nocendi arte verſatiſſimae, varias vitae finiendae vias inuenire! Quid eam, ſalute deſperata, prohibuit, quo minus, SENECA [g]) praeeunte verbis, ita ſe alloqueretur: *Quid gemis, demens? Quid exſpectas, vt te aut hoſtis aliquis per exitium gentis tuae vindicet, aut rex a longinquo potens aduolet? Quocunque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum praecipitem locum? Illac ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, illud flu-*

 men,

e) In Praef. ad Alexipharm. p. 401.

f) L. Quod animi mor. corp. temp. ſequ. c. 3. p. 448. T. V. ed. *Chart.*

g) L. De Ira III. 15. p. 76. T. I. ed. Lipſ.

men, illum puteum? Libertas illuc in imo ſedet. Vides illam arborem breuem, retorridam, infelicem? Pendet inde libertas. Vides iugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? Effugia ſeruitutis ſunt. Nimis tibi operoſos exitus monſtramus, et multum animi ac roboris exigentes. Quaeris, quod ſit ad libertatem iter? Quaelibet in corpore tuo vena.

Sic demum atris ſub auſpiciis et ex aſpidum morſu *Cleopatra* regina venenum magno ſumſit animo, atque

Tum breuiter dirae mortis aperta via eſt.

Hinc ſe molliter compoſuit placideque obdormiuit, quaſi re bene geſta. Actum eſt, amici! Ite demum, ſi placet, exequias.

